

TM 1030

Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

Theodor Mahlmann  
von Åkarp's Antikvariat

August 1993

Leider fehlen:

Par prima

Par secunda

"der naturwissenschaftlich und  
philosophisch hervorragende  
westfälische N[achf.] W[issenschaftler]" Upsala  
"bedeutendster Name" von der  
Mitte des 19. Jhs. R 563 VI 1883

X 1706 + 1764.



I. N. 7.

PRÆNOTIONUM  
THEOLOGICI-  
CARUM

PARS TERTIA.

IN QUA

OBLIGATIO HOMINIS

AD

RELIGIONEM, VOLUNTATI DIVI-  
NÆ CONFORMEM,

CONTRA


IRRELIGIONARIOS

DEFENDITUR ET VINDICATUR

AUCTORE

NICOLAO WALLERIO, 1766.

S. S. Theol. Doct. & Professore, ad Regiam Academ. Upsa-  
1765-1764 liensem, Regio, Ord. & Kalseniano.



STOCKHOLMIÆ, A. O. R. 1758.

Typis & Sumtibus Directoris LAUR. SALVII

*Nicolaus Mlotin, magister*

Αστ. XVII: 24.

Ὁ Θεὸς ὁ παῖσας τὸν κόσμον καὶ πάν-  
τα τὰ ἐν αὐτῷ, ἔτϞ ἔρανϞ καὶ γῆς Κύ-  
ριϞ ὑπάρχων - - -

ΜΑΤΘ. IV: 10.

Ἰπαγέ σατανᾶ γέγραπται γαρ Κύριον  
τὸν Θεόν σὺ προσκυνήσεις καὶ αὐτῷ μόνῳ  
λατρεύσεις.





## PRÆFATIO.

**Q**uamprimum animo convictus est homo existere Deum, absolute perfectum, omniscium, omnipotentem, independentem, à Quo omnes res & speciatim homines, non modo qua primam existentiam, sed etiam ejus continuationem, omnesque agendi vires, plene & sine limite dependent; exfurgit in mente ejus idea perfectæ obligationis, suas actiones liberas ad Dei voluntatem conformandi, Eumque complete colendi & honorandi. Ejusmodi cum natura humana habet religio nexum, non vero talem, quo illa esset completum determinans hujus, & quo homo, contra rectæ rationis principia, in idolum converteretur ex Divinitate & humanitate conflatum.

## *Prefatio.*

Anno proxime præterlapso, Londini publicavit, *David Humo*, princeps eorum, qui præsentì tempore Deistæ apud Anglos adpellantur, *Four dissertations* &c. h. e. Quatuor dissertationes, quarum 1.) agit de naturali historia religionis, 2.) de passionibus, 3.) de Tragoediis, 4.) de regulis gustus. Prima harum multa continet paradoxa, quæ, ut & aliud hujus viri scriptum, quod §. 139. breviter confutavi, haud obscure significant; hunc aut esse retum Philosophicarum plane ignarum, aut nimio aliis contradicendi studio abreptum: Largitur enim notionem existentia Divinæ esse adeo claram & perspicuam, ut nemo sanus de ea dubitet, primaque idcirco religionis fundamenta neget; nihilo tamen minus contendit, religionem ex humana natura suam non derivare originem. Si principia, quibus nititur religio, sibi habuisset cognita, eaque intellexisset, quæ modo breviter attulimus, & in præsentì tractatione fusius demonstramus, opinionem tam ab-



## *Prefatio.*

absurdam & sibi ipsi contradictoriam non formasset. Argumenta, quibus pro hoc suo phantasmate pugnat, adeo exigui sunt ponderis, ut proposita, merito judicentur confutata.

1:0) *Quamvis, inquit, homines semper habuerint conceptum entis omnipotentis, easdem tamen in religionis negotio inde non formarunt conclusiones: Nam datur infinita religionum diversitas, populi que reperiuntur sine omni religionis sensu. Ergo religio in natura humana non æque fundatur, ac philævtia, amor sexus, aliique naturæ instinctus. Nescit adversarius in hac objectionem distinguere inter religionem, in genere spectatam, & varium ejus modum. Fateor hunc apud diversas differre gentes, sed an inde sequitur eas ductu suæ naturæ non cognoscere suam, ad Deum colendum, obligationem? Non arbitror. Neque credo*

):( 3

## Præfatio.

do alium, præter Humium, esse in arte ratiocinandi adeo imperitum, ut talem formet conclusionem. Sed ut videat adversarius, quam inepte ex suis præmissis colligat, eum proprio jugulemus gladio: *Licet omnes homines habeant eundem conceptum amoris proprii, quia tamen infinita diversitate eum exercent, hic instinctus non est in natura humana fundatus.* Quod mihi ad hanc instantiam respondes, id tibi responsum esto. Quod de populis, religionis sensu carentibus, ex Hontani itinerario aliisque impuris & falsis fontibus ostendere conatur hic adversarius, id ad tædium usque confutarunt pluri mi, & demonstrarunt maximam, hoc commento, populis inferre injuriam.

2:do) Garrit idem Adversarius, *principia quibus nititur religio, esse omnium minime universalia, quia possent per circumstantias mutari, immo an-*  
nibi-



## *Praefatio*

*nihilari.* Sed hoc æque est impossibile ac negare existentiam Dei, & omnimodam hominum ab Illo dependentiam. Ergo principia religionis in nihilum redigi nequeunt, neque ullam, pro diversitate circumstantiarum patiuntur mutationem: Nam licet omnes homines ex principiis positis, per errorem, non easdem formant conclusiones, inde tamen ad mutationem & particularitatem principiorum non nisi ineptissime colligitur.

3:0) *Si humanum genus, pergit idem adversarius, à primo ejus consideramus ortu, Polytheismum, seu, idolatriam, primam & antiquissimam inveniemus religionem: Hanc enim omni tempore dominantem fuisse, docet omnis ævi historia, ostenditque ipsa ratio, quia tempore, quo homines suæ inscitiae propriæque cogitandi vi relictæ fuere, maxima eorum pars non*  
*nisi*

## *Prefatio.*

nisi confusum valde & turbatum de Deo habere potuit conceptum: Nam æque videtur inconveniens tribuere menti humanæ, in initio rerum, veram de Deo notitiam, ac statuere homines prius in splendidis habitasse ædificiis, quam tuguriis, omni destitutis ornatu. Ex his fluere credit impossibile esse, ut cognitio unius Dei, quæ est fructus iudicii, magis exercitati, primam constituerit religionem. En! supremam huius viri stultitiam, qua non modo historiam sacram, sed & omnem rationis usum longissime à se rejicit. Docet sacer scriptor primum hominem nulla inscitia nullaque ignorantia, Deum recte colendi, laborasse, sed sufficienti intellectus luce & sanctitate voluntatis ornatum fuisse. Idem affirmant saniores gentilium, & evidenti argumento ostendit recta ratio, vid. §. 25. huius tractat. Tempus ergo primorum hominum inscitiae, quod fingit noster adversari-



## *Præfatio.*

---

farius, repugnat omni veritati. Fateor ex historicis patere documentis, maximam hominum partem, ante Natum Christum, commutasse verum Dei cultum in turpem idololatriam. Sed an inde sequitur Ethnicismum fuisse primam religionem? Non putaverim: Nam historia gentilium ad initium mundi se non extendit, & recta ratio, ut modo observavi, contrarium evincit. Quam certum est, cognitionem existentiae Divinæ esse menti humanæ insitam, tanta quoque gaudet perspicuitate, polytheismum naturæ humanæ repugnare. Gentiles ergo ex rationis non usu, sed abusu, in idololatriam esse prolapsos, evidenter ostendit gentium Doctor, Apostolus Paulus, Cap. i. ad Romanos. Neque similitudo illa de tuguriis & domibus, ab adversario allata, contrarium evincit, sed potius ostendit, primos homines magis de animæ coram Deo puritate, & simplicitate, quam ex-  
ter-

## *Præfatio.*

terno & ambizioso corporis cultu fuisse sollicitos.

4:0) Eodem, quo incepit noster adversarius, animo, impiissimam continuat disputationem: *Si, inquit, ex consideratione rerum, in hoc mundo ad spectabili creaturarum potuissent homines elicere cognitionem unius Dei; polytheismus non fuisset possibilis, sed phænomena naturæ, quæ sensibus nostris quotidie obversantur, sibi ita opponuntur (Ex. gr. procella evertit optimum naturæ & artis opus; imbris eximit nobis splendorem solis &c.), ut cogamur admittere plures certæ potentiae Deos. Resp. 1.)* In prima Prænot. Theol. parte demonstravimus, ex contemplatione rerum creaturarum ad existentiam unius Dei evidentissime colligi, ut adeo magnam in argumentando prodat hic adversarius ignorantiam.

2.) Si-



## *Præfatio.*

2.) Simul in eadem Prænot. parte evicimus, polytheismum esse rectæ rationi adeo inimicum, ut nemo sanus eum statuat. 3.) Inde quod quædam naturæ phænomena, ex limitatione rerum, sibi opponantur, non nisi ineptissime colligitur ad Deorum pluralitatem, nam quicquid reale est in tota universitate, id non multiplicem, sed unicam & supremam arguit causam.

Quod ultimo tandem loco evomit idem calumniator, scilicet, religionem, qua unus colitur Deus, bella excitasse, & plus mali generi humano intulisse, quam immolationes hominum apud gentiles, id adeo est absurdum, & ab omni veritate alienum, ut nulla egeat confutatione, præsertim, quum ex Tertia Prænotationum Theologicarum parte, quam luci publicæ nunc trado, luculenter pateat, religionem, qua unus verus colendus est Deus, in-

con-

*Praefatio.*

---

concusso niti fundamento, omnesque  
Irreligionarios non nisi valde insipien-  
ter & contra omnem rectae rationis  
usum se ei opponere. Dabam Upsaliae  
die 6. Septembris A. O. R.

I 7 5 8.



J. N.





I. N. S. S. T. P. F. & S. S.  
PRÆNOTIONUM THEO-  
LOGICARUM  
PARTIS TERTIÆ  
SECTIO PRIOR  
THETICA.

CAP. I.

DE  
JURE DEI IN CREATURAS.

§. 1.

**D**eo plenarium & illimitatum in omnes  
creaturas competit jus, *s. dominium*.  
Nam omnis creatura totusque hic  
mundus, qua suam substantiam,  
existere nequit, nisi per creationem, quam  
Deus liberrime instituit, prout in Parte 1.  
demonstravimus. Eodem modo ex parte 2.  
est perspicuum, singulas creaturas cum to-  
to eorum ordine, & agendi viribus, quo-  
ad suam in existendo continuationem, à  
PARS III. A con-

conservatione & concursu Divino ita dependere, ut si vel ad momentum temporis Deus eis suam subtraheret activitatem, nihil agere possent & annihilarentur. Omnes usus & fructus rerum creatarum proveniunt ex earum ordine & agendi viribus. Deus ergo pro arbitrio suo disponere potest de omnium & singularum creaturarum non modo substantiis, sed usibus quoque & fructibus, qui ex illis proveniunt, idque absque omni limitatione & restrictione, nam est ens vere infinitum & ab alio quovis independens. Elucescit ex modo demonstratis, Divinis perfectionibus, quæ in creatione, conservatione & concursu se exerunt, esse conveniens, ut pro arbitrio possit Deus disponere de rebus creatis. Neque, præter convenientiam cum perfectionibus Divinis, aliam agendi & volendi normam habet Deus (§. 77. P. 1.). Itaque, quum moraliter possibile id dicatur, quod rectitudini actionum non repugnat, & juris nomine veniat facultas id agendi moralis, quod salva actionis rectitudine fieri potest; patet Deo competere jus prorsus illimitatum, pro arbitrio disponendi de omnium creaturarum substantiis, usibus & fructibus. Sed hoc jus *Dominii* nomine venit. Deo igitur competit dominium in creaturas omnes & singulas plenarium & illimitatum.

§. 2.



§. 2. *Ex modo demonstratis intelligitur. Summam Dei excellentiam & absolutam independentiam, conjunctam cum omnimoda creaturarum omnium à Deo dependentia esse fundamentum domini Dei in creaturas.* Nam ex creaturarum omnium à Deo per creationem & conservacionem dependentia, qua existentiam omnesque agendi vires & potentias, fluere vidimus Deum pro arbitrio disponere posse de singularum creaturarum substantiis, usibus atque fructibus (§. 1.). Simul ostendimus ex absoluta Dei perfectione sequi, Eum non agnoscere aliam volendi & agendi regulam, quam convenientiam rei cum perfectionibus Divinis, hisque congruum esse laudatum dominium, & ob absolutam Dei independentiam ab alio quovis independens.

Hoc domini Dei in creaturas fundamentum stabilit etjam Scriptura S. Nam Apostolus Paulus Act. 17: 24. seq. ex creatione & omnimoda creaturarum à Deo dependentia, nec non omnisufficientia Divina, colligit Deum esse Dominum cœli & terræ, h. e. omnium rerum creaturarum. Idem docet Propheta Daniel Cap. 5: 27. gravissimis verbis Belsazarem castigans, quod contra Dominum cœli se extulerit, in Cujus ta-

men manu sunt ejus & omnium hominum animæ, & penes Quem totum nostrum est iter, h. e. à Quo omnimode dependemus. Taceo alia plura Scripturæ loca, quæ dominium Dei in creaturas ex eodem derivant principio.

## §. 3.

*Dominium, quod breviter delineavi (§. 1. 2.), exercet Deus in omnes creaturas, & speciatim in homines.* Nam Deus actu ipso non modo est ens absolute perfectum & independens, sed etiam creaturas in existendo conservat, h. e. continuat suam voluntatem de earum existentia, quæ tam diu existunt, quam diu Deus eas existere vult. Prout in Part. 1. & 2. demonstravimus. Sed substantia est essentia existens (§. 1126. Syst. Met.). Ergo Deus actu ipso exercet jus suum, pro arbitrio disponendi de creaturarum omnium substantiis. Præterea actu ipso gubernat omnes & singulas creaturas, omnes earum actiones ad bonas dirigendo fines (§. 17. P. 2.). Itaque actu ipso creaturis suis utitur, prout fines illi exigunt, & eorundem finium intuitu, fructus, ex illis provenientes, dirigit. Gubernatio autem Divina est liberrima, nam est actus voluntatis Divinæ. Deus ergo jus suum, quod habet, pro arbitrio disponendi de usu & fructu rerum, actu ipso  
exer-



exercet. Ergo Deus actu ipso exercet dominium in creaturas, & ideo in omnes homines.

§. 4.

Ex hæcenus ostensis deducimus I.) *Deum hoc dominio, quamdiu existunt creaturæ, se nunquam abdicare posse.* Nam si posset, tunc, quia dominium illud fundatur in suprema Dei excellentia & independentia, conjuncta cum omnimoda creaturarum ab Illo dependentia (§. 2.), desineret Deus aliquando esse ens abs. perfectum & independens, ipsæque creaturæ per creationem, conservationem, & gubernationem aliquando non dependerent à Deo. Quod absurdissimum.

II. *Necessarium esse ut homo non suo, sed Dei arbitratu suas determinet actiones liberas, seu, ut omnes suos actus liberos, tam internos quam externos ad Divinam voluntatem conformet.* Fingamus hoc non esse necessarium, sed hominem posse proprio arbitratu, seposita vel neglecta Dei voluntate, vel quosdam vel omnes, qui ex libertate pendent, determinare actus. Liceret ergo homini vel in omnibus vel quibusdam actibus, se non servum, sed dominum, non dependentem, sed independentem, constituere. Hoc autem illimitato Dei in homines dominio,

ipfiusque hominis à Divino Numine omnimodæ dependentiæ è diametro adverfatur. Homo ergo neceffitate quadam adstringitur ad componendos omnes actus internos & externos ad Dei voluntatem.

Indubitatum eff axioma: *Servam eo usque ad voluntatem domini sui se componere debere, quousque ab illo dependet. Et dominium illud extenditur.* Habet Deus illimitatum in omnes homines dominium, hominesque à Deo omnimode dependent. Ergo in omnibus & fingulis debent se conformare ad Dei voluntatem.

## §. 5.

*Neceffitas hæc, qua homo adstringitur, actiones suas voluntati Divinæ conformare, non est nisi moralis.* Nam verfatur circa actiones hominum liberas, quæ ab omni neceffitate & absoluta & phyfica funt immunes (per Princip. Psych. Emp.), nec admittere poffunt nisi moralem, quum ob rectitudinem actionum, voluntate Divina determinatam, aliter, quam ferat hæc rectitudo, non liceat homini fuas inftituere actiones (§. 4. n. 2.).

## §. 6.

*Eadem hæc neceffitas, à parte Dei, eff conjuncta cum jure ftatuendi malum paffionis in eos, qui voluntati Divinæ non fatisfaciunt.* Omne jus infert facultatem moralem agendi id, quod



quod rectum est, ideoque realitatem & perfectionem importat, utpote rectitudini actionum congruam. Quare jus statuendi malum passionis in eos, qui voluntati Divinæ non satisfaciunt, non nisi realitatem & perfectionem involvit. Adeoque si Deus hoc jure destitueretur, dominium, quod in res creatas & homines habet, utpote aliqua compossibili realitate carens, non esset illimitatum. Hoc autem contradicit mox demonstratis. Vera ergo est proposita thesis.

Rursus. Homines, voluntati Divinæ non satisfaciunt, contra suam à Deo dependentiam & illimitatum Ejus in se dominium agunt (vid. §. 4. n. 1.), quod cum essentia & perfectionibus Divinis necessario est connexum (§. cit.). Hanc ergo disharmoniam quum vi omniscientiæ suæ optime sciat Deus, & vi omnipotentiae tollere possit; per sanctissimam suam voluntatem ferre nequit (§. 79. P. 1.). Sed si jure statuendi malum passionis in eos, qui voluntati Divinæ non satisfaciunt, careret, disharmoniam illam non posset non ferre. Quod tamen per demonstrata est absolum. Deus ergo possidet jus statuendi malum passionis in eos, qui voluntati Ejus non satisfaciunt.

## §. 7.

*Superior* f. *Imperans* est persona A, personarum B, C, quæ jus habet non modo ab his postulandi obsequium in determinandis actionibus liberis, sed etiam statuendi malum passionis in eas, si proprio vivere velint arbitrato, renuantque suas actiones ad voluntatem personæ A componere. Brevius: *Superior* est qui jus habet pro suo arbitrio disponendi de actionibus aliorum. Personæ B, C, in relatione ad superiorem A, ejus vocantur *Inferiores* f. *Subditi*.

## §. 8.

*Deus* est absolute summus hominum superior, omnesque & singuli homines sunt ejus subditi. Deus enim vi sui domini, quod in omnes homines habet, illimitati (§. 1.), jure gaudet postulandi, ut homines suas omnes actiones ad Ipsius nutum determinent (§. 4. n. 2.), quod jus conjunctum quoque est cum jure statuendi malum passionis in eos, qui voluntati Ejus non satisfaciunt (§. 6.). Hoc autem jus, ut Deo, enti infinito, competens, non potest non esse infinitum & illimitatum. Ergo Deus est absolute summus omnium hominum superior, hominesque sine ullo discrimine sunt Ejus inferiores (§. 7.).

Ne-



## §. 9.

Necessitas moralis, à jure superioris orta, *Obligatio* dicitur. Oritur itaque obligatio ex conscientia juris, quod superior in inferiores habet, & vi cujus sentiunt obligati, sibi non amplius licere proprio vivere arbitratu, sed ad voluntatem sui superioris, seque peccando contra illam, malum, quod contra transgressores est statutum, recte mereri. *Obligatio* igitur *interna*, respectu scil. obligati, recte habetur pro conscientia vel sensu interiori necessitatis moralis, à jure superioris profecta.

Omnem hinc fontem & originem veræ obligationis, quæ conscientiam intime constringat, ex jure superioris deduci facile intelligitur: Quam primum enim subjectionis sensu, ex agnitione sui superioris orto, tangitur homo, vera in animum ejus introducit obligatio, ad quod probandum alia non opus habemus re, quam ut interna experientia & debita cum attentione in seipsam, descendat anima, examinetque quid requirat prius, quam sentiat se ad aliquod agendum vel omittendum esse obligatum.

## §. 10.

*Jus in Perfectum & Imperfectum* dispeſcitur. *Illud* conjunctum est cum jure cogendi alterum, si suæ satisfacere nolit obligationi; *Hoc* cum tali jure non est connexum. *Cogi* heic dicitur, qui per mala, ab altero representata, ad agendum determinatur.

A s

Un-

Unde *jus cogendi* est *jus inferendi malum ad compescendum alium*, qui suæ obligationi satisfacere non vult. *Juri perfecto* respondet apud alterum *Perfecta obligatio*, ad quam explendam cogi potest; *Juri autem imperfecto Imperfecta* respondet *obligatio*, ad quam explendam nemo cogi potest.

Sic locatori perfectum est *jus exigendi à conductore mercedem*, & ad hanc præstandam perfecte obligatur conductor. Pauper autem non nisi imperfecto *jure eleemosynæ à divite petere potest*, nam *jure cogendi divitem ad hoc sibi exhibendum beneficium omnino destituitur*.

## §. II.

*Jus, quod Deus in omnes habet homines, est perfectum, hominesque perfecto obligantur, suas actiones voluntati Divine conformare.* Nam Deus est absolute summus hominum superior (§. 8.), ideoque *jus habet inferendi hominibus malum, qui suæ obligationi satisfacere nolunt (§. 7.), possidetque idcirco jus cogendi omnes homines ad obedientiam, & consequenter jus perfectum in eos habet (§. 10.).*

Necessitate constringuntur homines suas actiones ad voluntatem Divinam conformare (§. 4. n. 2.). Hæc necessitas est moralis (§. 5.), profluens ex illimitato Dei in homines dominio, & per consequens ex jure Dei, quo



quo est hominum superior. Sed necessitas moralis à jure superioris profecta, veri nominis obligationem gignit (§. 9.). Homines ergo obligantur suas actiones conformare ad Dei voluntatem. Juri perfecto respondet, à parte obligati, perfecta obligatio (§. 10.). Habet Deus perfectum jus in omnes homines (per demonstr.). Ergo omnes homines perfecte obligantur instituere suas actiones voluntati Divinae conformiter.

§. 12.

*Lex est norma s. regula, ad quam quis actiones suas liberas conformare obligatur.*

Hinc deducimus consectaria. I.) *Omnis lex est à superiore, inferioribus data, neque abstrahendo ab idea superioris concipi potest lex.* Nam obligatio est de essentia legis, sed nemo nisi superior aliquem obligare potest (§. 9.).

II.) *Ergo nemo, nisi superior, habet potestatem ferendæ legis.*

III.) *Deus est Legislator supremus.* Nam est omnium hominum superior absolute summus (§. 8.).

Deus ergo Israëlitis laturus legem, supremam suam in eos potestatem omnium primo his gravissimis significavit verbis: *Ego sum*

*sum Jehovab Deus tuus, qui eduxi te à terra Egypti, à domo servorum. Exod. 20: 2.*

IV.) *Voluntas Dei est hominibus lex.* Nam perfecte obligantur suas actiones ad illam componere (§. 11.).

§. 13.

*Deus vult ut homines rectitudinem actionum observent, h. e. ut liberas suas actiones perfectionibus Divinis conformiter instituane.* Nam Deus, per infinitam suam justitiam (§. 121. P. 1.), non vult nisi quod est rectum (§. 120. P. 1.), & ideo id, quod cum essentia & perfectionibus Divinis necessariam habet congruentiam (§. 119.). Sed voluntas Dei est hominum lex (§. 12.). Ergo vult Deus, ut homines instituant suas actiones liberas perfectionibus Divinis conformiter.

Rursus, Deum intellectu suo infinito sibi ab omni æternitate repræsentare veritates morales, rectitudinem actionum nostrarum concernentes, h. e. necessariam earum cum perfectionibus Divinis congruentiam (§. 119. P. 1.), facile intelligitur. Jam vero aut vult Deus, ut homines eandem hanc observent rectitudinem, aut id non vult: Si non vellet, dissensus daretur inter intellectum & voluntatem, quod absurdum. Deus ergo vult, ut homines eandem actionum rectitudinem faciant suam.

§. 14.



§. 14.

Sic ex indole nostrarum actionum, ad perfectiones Divinas relata, patet quid Deus à nobis agendum, quid omittendum velit. Nam ex ideis actionum nostrarum, prout cum essentia & perfectionibus Divinis conveniunt, vel ab iisdem dissentiunt, moralitatis earum ultimum pendet fundamentum, in infinito Dei intellectu repræsentatum. Quam obrem quum Deus velit, ut homines hanc actionum rectitudinem observent (§. 13.), patet ex eodem fundamento nos intelligere, quid Deus à nobis agendum, quid omittendum velit.

§. 15.

Suo mox demonstrabitur loco, Deum creasse hominem sufficienti intellectus luce instructum, qua potuit omnium suarum actionum investigare naturas, earumque cum perfectionibus Divinis consensum vel dissensum eruere, & sic statim intelligere, quid Deus agendum, quid omittendum vellet. Neque permittit legis immutabilitas, ex justitiæ Divinæ immutabilitate pendens, ut in statu hoc, nostra culpa corrupto, alia nobis sit vivendi norma, aliudque fundamentum, actionum nostrarum moralitatem examinandi & eruendi: Nam quamvis quælibet individua actio, quam homo instituit,

ex

ex aliis simplicibus sit complicata, tantum tamen, post deplorandum lapsum, intellectui humano superesse virium experientia docet, ut adhibita attentione & reflexione possit actionum generales notiones formare, & perfectionum Divinarum distinctos habere conceptus, indeque generalia agendorum præcepta elicere, in dato quovis casu observanda.

Ita quisvis facile eruiere potest, quid sit læsio, & quid sit lædere alium, nihil scilicet aliud, quam contra ius detrudere alteri veras perfectiones, quæ ei competunt. Nemo etiam ignorat iustitiæ Divinæ esse nemini inferre malum, quod non promeruit, sed omnibus potius benefacere. Unde sine hæsitatione quisvis statim colligit, neminem esse lædendum.

## §. 16.

Homines perfecte obligantur, suas componere actiones ad Dei voluntatem (§. 11.). *Ergo etiam perfecte obligantur instituere actiones suas liberas perfectionibus Divinis conformiter (§. 13.).*

## §. 17.

*Lex Naturæ* est norma s. regula, à Deo universis lata hominibus, & naturali facultate cognoscibilis, ad quam suas actiones liberas componere obligantur omnes homines. Brevius: Est lex Divina, naturali mentis facultate cognoscibilis.

## §. 18.



## §. 18.

*Existit lex Naturæ, seu, existit lex, naturali mentis facultate cognoscibilis, à Deo hominibus communicata & injuncta.* Nam naturali mentis facultate actu ipso patet, quid Deus ab hominibus agendum, quid omittendum velit (§. 14. 15.). Sed homines obligantur componere suas actiones ad Dei voluntatem (§. 11.), illaque idcirco hominibus est lex (§. 12. n. 4.). Ergo datur lex naturali mentis facultate cognoscibilis, à Deo hominibus communicata & injuncta.

Est etiam Legis Naturalis existentia cum illimitato Dei in homines dominio & morali eorum natura, quæ subjectionis, normæ & regulæ capaces existunt, adeo arte connexa, ut, illo posito, hæc simul ponatur. Nam existit Deus, Qui illimitatum in omnes homines habet dominium (§. 1.), qui omnes, sine discrimine, Ejus absolute summo subsunt imperio (§. 8.), qui etiam, ut Psychologia docet, intellectu & libera voluntate sunt ornati, & ideo regulæ capaces. Habet ergo Deus illimitatum jus præscribendi f. communicandi hominibus legem. Sed aut aliquam actu ipso communicavit, aut nullam, si hoc, de suo in homines jure aliquod cessisset, seu, quod idem est, parte illimitati sui dominii se abdicasset, ipsumque

que hoc dominium quoad homines non ex-  
erceret, quod absurdum (§. 3. 4.). Ponend-  
um ergo est prius affirmandumque, Deum  
actu ipso communicasse hominibus legem.  
Quia autem voluntatem Dei de agendis &  
omittendis homo naturali mentis facultate  
cognoscere potest (§. 14. 15.); & Dei vo-  
luntas hominibus est lex (§. 12.); quivis  
intelligit dari legem naturæ (§. 17.).

Legis naturæ existentiam omni externo teste fortius  
probat porro cujusvis *conscientia*, qua homo suæ  
omnimodæ à Summo Numine dependentiæ intime  
consciens, actiones suas vel bonas vel malas ita judi-  
cat, ut illæ magnam animi tranquillitatem, hæ gravis-  
simas mentis cruciatus, homine licet invito, excitent.  
Hanc conscientiæ vim nulli externæ causæ esse ad-  
scribendam, sed originem trahere ex intimo mentis  
dictamine de agendi norma, sibi à Deo, suo superi-  
ori, injuncta, in Parte Prænot. I. breviter probavi.  
Hujus conscientiæ testimonia agnovère saniores gen-  
tiles. Unde Cicero pro Roscio & L. I. de finibus:  
*Impii pœnas luunt, non tam judicis, quam an-  
gore conscientiæ, fraudisque cruciatu.* Et Me-  
nander *mortalibus omnibus conscientia Deus.* Et  
Vae tibi si contemnīs hunc testem domesticum, exclam-  
at nonnemo; Hac conscientiæ vi, ut ait Hierony-  
mus, Cain cognovit suum peccatum, dicens: ma-  
jor est culpa quam ut dimittatur; Pharao quoque,  
antequam lex daretur per Moſen, stimulatus lege  
Naturali, sua crimina confitetur, & dicit: Domi-  
nus justus est, ego autem & populus meus impii.  
Apostolus Rom. 2: 14, 15 expresse ait; gentes,  
quæ legem non habent, scilicet scriptam Moſis, ut  
Judæi,



Judæi, naturaliter facere ea, quæ sunt legis. & esse sibi legem, utpote quæ ostendunt opus legis scriptum in cordibus, conscientia ipsorum constante, & cogitationibus ipsorum se invicem accusantibus vel excusantibus.

## §. 19.

*Lex N. nos obligat ad committendas actiones, perfectionibus Divinis conformes, & ad omit- tendas iisdem diffformes.* Lex N. obligat homines ad componendas actiones, regulæ, à Deo latæ, & naturali mentis facultate cognoscibili, conformiter (§. 17.). Sed illa regula non est alia, quam ipsa Dei voluntas (§. 12. n. 4.), homini per rationis usum communicata. Ergo Lex N. obligat homines ad componendas actiones voluntati Divinæ convenienter. Vult autem Deus, ut homines suas actiones determinent perfectionibus Divinis conformiter (§. 13.), hæcque Dei voluntas naturali mentis facultati patet (§. 14. 15.). Ergo Lex N. homines obligat ad committendas actiones, perfectionibus Divinis conformes, & ad omit- tendas quæ cum illis pugnant.

## §. 20.

*Præter actiones, sive in committendo, sive in omit- tendo consistant, perfectionibus Divinis conformes, non dantur aliæ, ab his diversæ, ad quas lege Nat. obligamur.* Fingamus nos

PARS III.

B

lege

lege Nat. simul obligari ad actiones alias, quam quæ perfectionibus Divinis sint conformes, tunc, quia Lex Nat. regulam actionum infert, à Deo nobis communicatam (§. 17.), & per consequens Dei voluntatem, hominibus patefactam (§. 12.), Deusque, vi infinitæ suæ justitiæ, nihil præter id, quod rectum est (§. 120. P. 1.), & quod cum essentia & perfectionibus Divinis necessariam infert congruentiam (§. 119. P. 1.), velle potest (§. 121. P. 1.); tunc, inquam, sequeretur, nos lege Nat. etiam ad id obligari, quod Deus non vult. Tota autem Legis Nat. obligatio, non aliunde, quam ex jure imperii Dei in homines fuit, quod ex antea demonstratis clarissime intelligitur, ideoque ex jure imperii Divini in homines sequeretur, hominem agere debere id, quod Deus non vult. Ergo inter Jus Dei & Ejus voluntatem daretur disharmonia. Quod absurdissimum.

Ex Logicis constat, exceptivarum propositionum, in quatum numerum præsens est referenda, eam esse indolem, ut non nisi opposita removeant & excipiant, minime autem subordinata. Quivis ergo facile intelligit, præceptum: *fac, ut tuæ actiones perfectionibus Divinis sint conformes*. Non excludere alia, sub hoc præcepto subordinata, sed tantum, quæ ab hoc præcepto determinari nequeunt.



§. 21.

*Propositio, qua obligari dicimur, ad committendas actiones, perfectionibus Divinis conformes, & ad omittendas iisdem diffformes, est principium universæ Legis Nat. primum & fundamentale:* Est enim hæc legis Naturalis propositio (§. 19.), adeo universalis, ut nihil sit in tota lege Nat. quod ad eam non possit revocari (§. 20.). Est ergo universalis & adæquata, & per consequens unica (§. 1249. Syst. Met.). Est etiam cuivis, recta ratione legitime utenti, cognoscibilis (§. 14. 15., & ideo evidens (§. cit. Syst. Met.); Vim etiam obligandi secum habet conjunctissimam (§. 19.) Possidet ergo omnia & singula requisita principii primi (§. cit. System. Met.). Illa ergo propositio est legis Nat. principium primum, seu, fundamentale (§. 1248. System. Met.).

Præceptum legis Nat. primum includere debere vim obligandi, facile patet: Nam si principii primi titulum tueatur, debent omnes propositiones, ad legem Nat. pertinentes, ex illo sufficienter determinari, si ergo illi nulla inesset obligatio, neque ulla daretur in reliquis propositionibus, quæ inde pendent. Tota itaque lex Nat. obligatione, essentiali legis requisito, carens, legis dignitatem & auctoritatem amitteret. Quod

implicat. Sine idea superioris nulla datur obligatio (§. 9.), & in lege Nat. nullus alius, præter Deum, est superior (§. 18.). Ergo principium Legis Nat. primum, remota vel abstracta idea Dei, ut superioris, concipi nequit, nisi quis velit absurdissime commutare legem Nat. in nudam externæ prudentiæ regulam, cui pro lubitu quisvis renunciare queat. Principium Legis Nat. quod nos tuemur, ideam Dei superioris includit. Vel ex hoc igitur puncto liquet illud esse genuinum. Immo ausim dicere aliud non excogitari & adferri posse, quod principii primi omnia & singula possideat requisita: Nam si instituti permetteret ratio, sine difficultate ostendere possem, quodcunque hæcenus à Moralistis fuit allatum, à genuino principio plus vel minus deflectere. Et quid miri? Nostrum enim manifestò includit ipsum moralitatis fundamentum, & mensuram unicam atque ultimam, quæ alia, quam perfectiones Divinæ, esse nequit.

Quin & eo nomine commendandum est hoc nostrum principium, quod Scripturæ Sacræ admodum sit conforme: sapius enim sanctitatem Divinam, nobis in actionibus exprimendam, proponit Scriptura, ut Lev. 22: 44. 20: 7, 26. & alibi. Sanctitas Dei est illa Ejus puritas, qua ab omni imperfectio-



fectione est immunis, & non nisi perfectiones, easdemque absolute summas possidet. Quando ergo Spiritus Sanctus jubet, nos sanctos esse, quoniam Deus est sanctus, non intendit aliud, quam ut nostram moralem perfectionem ex convenientia cum perfectionibus Divinis determinemus. Sic etiam Salvator noster sanctissimus, summam agendorum una propositione comprehensurus, jubet nos perfectos esse, quem ad modum Pater noster, Qui est in cœlis, perfectus est. Matth. 5: 48.

## §. 22.

*Infinita Dei justitia est Legis Nat. ἀρχέ-  
τυπον, ipsa vero lex est ejusdem justitiæ  
ἐκτυπον.* Nam existit Lex Nat. à Deo hominibus communicata & injuncta (§. 18.). Deus ergo est legis Nat. causa efficiens, nam est causa hominis. Est quoque causa intelligens (§. 66. P. 1.). Datur itaque aliquod exemplar, cui legem, tanquam effectum, conformavit (§. 1348. Syft. Met.); sed totius legis Nat. summa est: *Fac ut actiones tuæ liberæ sint perfectionibus Divinis conformes* (§. 21.). Ipsa ergo lex Nat. perfectionibus Divinis est conformata. Consequenter sunt perfectiones Divinæ illud exemplar, ad quod conformavit Deus Legem Nat. Deus est absolute independens.

Sunt itaque perfectiones Divinae exemplar legis N. primigenium, seu ejus ἀρχέτυπον (§. 1352. Syst. Met.). Perfectiones Divinae sunt rectitudinis actionum Dei unica mensura, quam in omnibus suis actionibus, vi infinitae suae justitiae constanter adprobat (§. 119. seqq.). Ergo infinita Dei justitia est legis Nat. ἀρχέτυπον, ipsa vero lex ejus ἐκτύπον.

## §. 23.

*Lex Nat. quæ essentiam suam, est absolute immutabilis & necessaria.* Nam ea est Legis Nat. essentia & indoles, ut sit justitiae Dei ἐκτύπον, seu, exemplatum primigenium (§. 22.), sed exemplatum debet suo exemplari esse conformatum. Salvo itaque manente eadem exemplari, mutari nequit exemplatum. Si ergo illud est absolute immutabile & necessarium, etiam hoc, quæ suam essentiam immutabile erit & necessarium. Sed justitia Dei, quæ est Legis Nat. exemplar primigenium, absolutam habet immutabilitatem & necessitatem (§. 121. P. I.). Ergo indoles legis Nat. est absolute immutabilis & necessaria.

Ostendunt ante dicta ipsam Legis Nat. essentiam, consistere in conformatione actionum cum perfectionibus Divinis (§. 21.). Si ergo aliquam mutationem admitteret legis indoles, aut ipsæ perfectiones Divinae mutarentur, aut indoles & idcirco actionum alia

COM-



constitui possent, quam antea erant. Prius absolutæ Dei immutabilitati è diametro repugnat, postorius intellectus Divini, cujus est omnium rerum formare ideas, mutabilitatem infert, & ideo maxime absurdum. Nihil ergo superest aliud, quam ut fateamur, essentiam Legis Nat. esse prorsus immutabilem.

## §. 24.

*Tanta est Legis Nat. universalitas, ut se extendat 1.) ad omnes homines, omni tempore & loco, 2.) ad omnes eorum actiones internas & externas, quæ omnes & singulæ ad Legem Nat. sunt componendæ: Ut adeo pateat Legem Nat. non qualecunque sed exactissimum postulare obsequium. Quoad 1.) Est Deus omnium & singulorum hominum supremus imperans, omnesque & singuli homines, sine ullo discrimine, sunt ejus inferiores (§. 8.), qui perfecte obligantur instituere suas actiones voluntati Divinæ (§. 11.), adeoque perfectionibus Divinis, conformiter (§. 13.). Sed qui actiones suas ad perfectiones Divinas conformat, ea agit, quæ Lex Nat. jubet (§. 19. 21.). Omnes ergo & singuli homines ad servandam Nat. legem perfecte obligantur. Fingamus hanc obligationem aliquo cessare tempore, eo ergo desineret homo esse imperio Dei subjectus (Nam si subjectus esset, maneret illa obligatio, per mox demonstr.), posset itaque Deus se abdicare dominio in omnes homines. Quod*

absurdum (§. 4.). Omni ergo tempore ad servandam Nat. legem perfecte obligantur omnes & singuli homines.

Quoad. 2.) Antea demonstravi (§. 4. n. 2.), necessarium esse, ut omnes homines determinent omnes & singulas suas actiones liberas ad voluntatem Divinam, hancque necessitatem gignere perfectam obligationem (§. 11.). Sed obligatio ad voluntatem Dei producit obligationem ad instituendas actiones perfectionibus Divinis conformiter (§. 13.), & ideo ad legem Nat. sancte custodiendam (§. 19. 21.). Ergo Lex Nat. perfecte obligat homines, ut omnes & singulas suas actiones, ideoque & internas & externas, ad ejus tenorem instituant, exactissimumque idcirco legi præstent obsequium.

Ne autem quis sibi falso persuadeat, Deum hoc modo ab hominibus postulare, ad quod præstandum nullas dederit vires, sciat.

#### §. 25.

*Deum creasse hominem rectum, 1.) sufficienti intellectus luce collustratum, qua suas actiones, earumque cum Lege Nat. conformitatem, & ipsam legem distincte cognoscere poterat. 2.) sanctitate voluntatis instructum, qua constanter atque perpetuo, ad bona, lege præcepta, & juxta præceptum ordinem propendebat. Nam*  
eam



eam ob causam Deus produxit creaturas rationales, ut per illas suam manifestaret gloriam (S. 112. P. 1.), ipsæque idcirco creaturæ gloriam Divinam super omnia promoverent. Ita ergo à Deo creatæ erant, non modo ut id facere possent, sed etiam ut actu ipso facerent, prius, quia absente facultate actus fieri non potuit, posterius, quia ex sola potentia activa nulla sequitur actio, nisi accedat vis activa seu, agendi conatus (per princip. Metaph.). Deus autem vi suæ sapientiæ non potuit non producere medium, fini obtinendo idoneum & sufficiens. Creavit ergo Deus creaturas rationales non modo potentia, sed & vi congrua & sufficienti instructas, suis actionibus gloriam Dei manifestandi. Gloriam vero Dei manifestat, seu, promovet creatura rationalis, dum verbis factisque testatur se agnoscere infinitas Dei perfectiones. Itaque, quum hoc fieri nequeat sine facultatibus intelligendi & libere volendi, placuit Deo creaturam rationalem iis ornare. Ut autem actu ipso gloriam Divinam suis actionibus exprimerent creaturæ, non sufficiebant, ut modo probavi, solæ facultates, sed simul requirebatur vis ad finem laudatum producendum idonea. Sed fieri non potuit, ut gloriam Divinam suis actionibus manifestarent creaturæ, nisi 1.) actu  
B 5 ipso

ipso distincte cognoscerent & suas actiones, & earum cum gloria Dei conformitatem, nec non quicquid ad gloriam Dei faceret. 2.) constanter & perpetuo ad actiones, gloriæ Divinæ conformes, & quidem eo ordine, quo conformes sunt, propenderent, h. e. nisi sufficienti intellectus luce & voluntatis firmitate gauderent: Nam si alterutrum horum deficeret, gloriam Divinam actu ipso suis actionibus constanter exprimere non potuissent, quod fini, ob quem creatæ erant, repugnabat. Quam ob rem, quum gloriæ Divinæ manifestatio involvat actionum conformitatem cum perfectionibus Divinis, ipsaque hæc conformitas summam Legis Nat. exhibeat (§. 21.); evidens est, Deum in prima creatione excellentissimis illis donis creaturam rationalem exornasse, quibus legi Dei exactissimum præstare potuisset obsequium.

Breviter sic demonstravimus id, quod dicit Scriptura, Deum scil. condidisse primos homines ad imaginem suam, quod etiam saniores gentiles affirmasse docet *Pfanznerus in System. Gent. Purior.* p. 193. & seqq. Ceterum ex demonstratis facile patet, hanc imaginem non fuisse primis hominibus essentialem, nam nudis non absolvebatur facultatibus intelligendi & volendi, quæ de essentia animæ humanæ sunt, sed quia eis elegantissimas addebat vires, fuisse accidentalem, ita tamen, ut si primi homines in concreata integritate permansissent, naturali serie in omnes posteros fuisset propagata.



## §. 26.

*Dispensatio à Lege* est actus superioris, quo actionem inferioris, sub lege comprehensam, à legis vi excipit. Ergo *Indispensabilis* est lex, a cujus vi nullam actionem, sub tenore legis comprehensam, eximere potest superior.

Quem ad modum non nisi superioris est, legem ferro & statuere, ita actionem, lege determinatam, à vi ejus eximere, non aliis, quam superiori competere potest. Dispensationem vero non alios obiecti loco habere actus, quam lege determinatos, quivis ex communi loquendi more intelligit, quum nemo nostrum dicat dispensationi locum esse in actu, lege nec præcepto, nec prohibito.

## §. 27.

*Lex Nat. est indispensabilis.* Ponamus illam esse dispensabilem, posset ergo Deus, Qui est legis Nat. unicus superior, actionem, quam lex determinat, seu, ad quam obligat, ab ejus vi, h. e. obligatione, eximere (§. 26.). Omnis autem actio, ad quam lege Nat. obligamur, est conformis perfectionibus Divinis (§. 19. 20.). Posset ergo Deus actionem, perfectionibus suis conformem, ab eadem eximere conformitate, h. e. adprobare actionem ei contrariam, & ideo perfectionibus suis difformem. Quod sanctissimæ Dei naturæ è diametro repugnat.

gnat. Indispensabilem igitur esse Nat. Legem, necesse est, fateamur.

Putarunt quidem nonnulli, Deo legem Nat. dispensandi arbitrium, non esse denegandum, sed si nobiscum expendimus omnia Legis Nat. præcepta, quæ & primam & secundam concernant Decalogi tabulam, in rectitudine actionum, intellectu Divino representata, & ideo in justissima sanctissimaque Dei natura, fundari, facile intelligimus omnem dispensationem, proprie dictam, Excellentissimo Ente, prorsus esse indignam, nec alio possibilem modo, quam si sanctitatem & justitiam suam mutaret Deus; Quod dictum & cogitatum est absurdissimum, impiissimum. Neque putandum est hoc modo omnipotentia Divina quid detrahi: Nam absurdissimum est extendere omnipotentiam in præjudicium sanctissimæ Naturæ, & quis quæso affirmaret, posse Deum, per suam omnipotentiam proprias tollere perfectiones, nam sic posset tollere se ipsum, ipsaque omnipotentia id efficeret, ut nulla amplius daretur. En! ineptias longe maximas & impiissimas.

§. 28.

Justitia in *Rectoriam* & *Æquatoriam* dividi solet. *Illa* ad eum pertinet, cui jus est aliorum actiones dirigendi. *Hæc* inter æquales locum obtinet, legemque communem, quæ utramque stringat partem, supponit. *Illa* recte de Deo affirmatur, Cui perfectum competit jus dirigendi omnium creaturarum rationalium actiones, suis perfectionibus convenienter (§. 11). *Hæc* Deo re-



repugnat, qui nullum sibi agnoscit æqualem, neque alicui subest legi, nam est absolute summus omnium suarum creaturarum Monarcha (§. 8.).

Licet itaque justitia æquatoria, qua talis, in Deum non cadat, id tamen, quod in illa est reale, constanter observat. Realitas Justitiæ æquatoriae consistit in conformitate actionum cum lege Nat. & idcirco, cum perfectionibus Divinis. Sed Deus, vi suæ justitiæ, constanter observat actionum rectitudinem. Id ergo, quod in justitia æquatoria est reale, suis actionibus constanter exprimit Deus: Nemini itaque, quod non promeruit, infert Deus malum, sed omnibus potius benefacit, & promissa data sanctissime servat.

## §. 29.

Justitia rectoria, Deo competens (§. 28.), licet sit in se simplicissima, pro nostro tamen concipiendi modo, in relatione ad diversa objecta, triplex statui solet, *Dicastica*, sive, *Judicialis*, qua Deus illimitatum habet jus, creaturis rationalibus injungendi actus, sanctissimæ suæ naturæ conformes; *Remunerativa*, qua creaturam rationalem, quæ datæ legi se adcommodat, præmiis, sed mere gratuitis, ornat; *Vindicativa*, qua creaturam rationalem, ob delicta, punit. Deo competere summum & illimitatum jus injungendi creaturis actus, suæ sanctissimæ naturæ conformes, ex hætenus demonstratis abunde patet, unde simul

mul intelligimus Deo tribuendam esse justitiam dicasticam. Itaque nihil aliud restat, quam ut paucis agamus de remunerativa & Vindicativa.

## §. 30.

Neque homo, neque ulla alia creatura intelligens, licet Legem *N* vel exactissime servaverit, quidquam tamen à Deo mereri potest. Qui non perfecte debitum in alios confert, ita ut vires suas aliorum vertere potuisset, is dicitur *Mereri*. Si jus accesserit, ex lege compensationem postulandi *Meritum* oritur, rigorosissimo sensu intellectum. Sed omnis homo, omnisque creatura rationalis, ad exactissimam Legi Nat. præstandam obedientiam perfecte obligatur §. 24.). Neque ergo, salvo summo legis rigore, vires suas aliorum vertere possunt. Consequenter quidquid præstat creatura, ad legem se componens, id est perfecte debitum. Nihil itaque à Deo meretur.

Multo minus habet jus postulandi compensationem à Deo, nam omne, quod agit homo bonum, agere debet. Neque dari potest lex, Deum & hominem ex æquo stringens, vi cuius obligaretur Deus, dare homini ob bonas actiones compensationem. Homo igitur, si vel totam servaret legem, ei tamen confiteandum est, *se esse servum inutilem, nam, quod debuit facere, fecit Luc. 17: 10.*

## §. 31.



## S. 31.

*Deus præmiis, sed mere gratuitis, eos ornat, qui Legem Nat. servant, eoque justitiam suam remunerativam exercet.* Deus, justitia sua rectoria, per legem Naturæ, dirigit hominum actiones (§. 28.). Tale autem placuit summo Numini condere naturam animæ humanæ, ut nunquam appetat, nisi quod sibi bonum judicet, & ideo, quod te statumque suum perfectiorem reddat (Per Psych.). Per legem ergo Naturæ ita dirigit Deus actiones hominum, ut id, quod nos statumque nostrum perfectiorem reddat, cum actione connectat, ut motivum illius committendæ. Sed his prædicatis vera præmii natura constituitur. Eos ergo præmiis ornat Deus qui legem servant. Quum autem homo, licet legi vel exactissimum præstet obsequium, nihil tamen à Deo mereatur (§. 30.); evidens est, præmia hæc esse mere gratuita, Deumque justitiam suam remunerativam exercere.

Deum largiter remunerare actiones bonas multis in locis docet Scriptura, ut Ps. 18: 24-26. Neque aliud evincunt Enochi, Noachi, Abrahami, Isaci, Josephi, Mosis & aliorum plurium exempla. Immo affirmat Apostolus Rom. 2: 5-7. Deum, secundum justitiam, retributurum cuilibet secundum

secundum opera, quæ fecit, & ei, qui bonas actiones commisit, æternam gloriam & felicitatem. Eadem urget idem Apostolus 2. Thess. 1: 6, 7.

Pontificii, quo suis meritis efficacius succurrant, dicunt Deum ad remunerationem obligari, eamque idcirco non esse mere gratuitam. Absurdam vero esse hanc opinionem modo demonstravimus. Neque potest quis obligari ad retributionem, nisi alter præstet ei officium, non perfecte debitum, nisi etiam illum jus superioris stringat. Quod utrumque, quoad Deum, manifestam involvit contradictionem.

§. 32.

*Ipsa legis indoles postulat, ut in illa malum passionis vel expresse vel tacite statuatur in illius transgressores.* Omnis lex, vi suæ essentia, obligationem infert (§. 12.). Sed sine jure superioris obligationi non datur locus (§. 9.). Jus superioris includit jus, malum passionis in eos statuendi, qui voluntati ejus non satisfaciunt (§. 7.). In omni ergo lege vel tacite vel expresse statuitur, quod eos maneat malum passionis, qui contra legem suas determinant actiones.

Dixi: *tacite vel expresse*, ne quis putet in omni lege exprimi illud malum, quod in transgressores est statuendum, neque illud est necessarium. Sufficit eam esse legis vim, ut nunquam libere sinat transgressores in eo permanere statu.

§. 33.



## §. 33.

De hoc malo duæ necessariae observandæ sunt positiones. 1.) *Omne malum, quod in transgressores lege statuitur, non nisi à superiore eis immittitur.* Elucescit hoc ex modo demonstratis (§. 32.).

II.) *Mali, quod in transgressionem legis statuitur, indoles erit, sua acerbitate inferiores detertere à transgressionem legis.* Tam ex notione superioris, quam per se patet, malum ideo in transgressores statui, ne inferiores contra voluntatem & jus sui superioris, suas determinent actiones. Itaque si sua acerbitate inferiores à transgressionem legis non deterret, nunquam posset eos constringere ad debitum obsequium, legi præstandum.

## §. 34.

*Pœna est malum passionis, quod a superiore in legis, à se latae, transgressores ob transgressionem, infligitur.* Per *malum passionis*, quod malo actionis, seu legis transgressionem opponitur, intelligimus omne id, quod statum hominis, quoad modificationes internas, & relationes externas, imperfectiorem reddit, semper cum quadam acerbitate & molestia connexum, sive corpus tantum, sive animam tantum, sive corpus & animam simul vexet.

## §. 35.

Intelligimus ergo I.) *Omnem legem munitam esse sanctione pœnali (§. 32.).*

Certe si hac sanctione non armata esset lex, illam ut nudam prudentiæ regulam considerarent inferiores, quam libere negligerent, nihil incommodi vel mali inde metuentes. Tota itaque, si quæ esset, legis custodia, ex eorum dependeret beneplacito, minime autem ex jure superioris, quod quam inimicum sit veræ atque genuinæ legis indoli, prius demonstratâ abunde evincunt.

II.) *Superiorem, qui sine convenienti pœna delictum, contra suam legem commissum, dimittit, eo in casu & quoad illum delinquentem, dispensare suam legem.* Peccatum est actionis determinatio, legi contraria (per def.). Peccato itaque eximit se ipsum delinquens à rigore legis. Sed peccato, à parte superioris, opponitur pœna, quæ est malum passionis transgressori, ob delicta, illatum (§. 34.). Pœna igitur immissa ostendit superior actionem delinquentis à rigore legis non esse eximendam. Contrarium itaque ostendit, condonando peccatum sine pœna. Sed dispensat legem superior, si actionem, quæ ad tenorem legis pertinet, à vi ejus excipit (§. 26.). Ergo si superior sine pœna peccatum dimittit eo in casu & quoad illum delinquentem, legem dispensat.

Si



Si negas punitionem esse à parte superioris necessarium requisitum, quo ostendat legem suam non esse dispensandam, dicas, quid à parte superioris sit, quod exceptioni à lege, delicto commissæ, opponatur. Non provoces ad aliquos delinquentis actus, post commissum facinus susceptos, pœnitentiam videlicet & vitæ emendationem: Illi enim à parte delinquentis sunt, neque factam à lege exceptionem, quoad jus superioris, non factam reddunt, quia ostendunt modo delinquentem improbare suum facinus, non autem, an superior factam à lege exceptionem ratam habeat vel minus.

## §. 36.

*Lex Nat. armata est sanctione pœnali, Deoque competit justitia vindicativa.* Nam quia omnis lex (§. 35.), ergo etiam lex Nat. sanctione pœnali est munita. Quod si negas, fatearis necesse est, Deum, Qui est unicus Legis Nat. superior, quoad delinquentes suam dispensare legem (§. 35. n. 2.). Sed lex Nat. est plane indispensabilis (§. 27.). Ergo fieri nequit ut Deus ullum delictum sine convenienti pœna dimittat, & ideo possidet justitiam vindicativam (§. 29.).

Hanc maximi momenti veritatem aliis adhuc argumentis in Parte Prænot. 4. D. V. confirmabo, summum justitiæ Divinæ rigorem Naturalistis ostensurus. Hic sufficiat addere sequentem propositionem.

## §. 37.

*Deus pœnam infligit delinquenti, delicti gravitati ex asse proportionatam, h. e. delicto neque graviolem, neque leviolem.* Nam si pœnæ gravitas gravitatem delicti excederet, daretur quid in pœna, cui nihil in delicto responderet, adeoque, quum omnis pœna sit malum passionis (§. 34.), delinquenti infligeretur malum, vel pars mali, nullo respondens delicto, atque ideo vera ei detraheretur perfectio, quam jure suo possidet. Detrahre autem alteri, quod ejus est, infinitæ Dei justitiæ repugnat, qui sancte observat, quæ in justitia æquatoria sunt realia (§. 28.). Deus ergo pœnam delinquenti infligit, delicto non graviolem; Neque leviolem, nam si hoc, daretur aliquis peccati gradus, sanctione pœnali non correctus, & ideo, quum omnis peccati gradus sit peccatum, daretur legis transgressio sine pœna, quod legis naturalis indoli (§. 36.), & idcirco ipsi Dei justitiæ (§. 22.) repugnat. Deus igitur delinquenti infligit pœnam, delicti gravitate nec majorem, nec minorem, ei ergo ex asse respondentem.

Homines, quibus justitia non est essentialis, nec omni scientia gaudent, possunt ex ignorantia gravitatis delicti, illo vel graviolem, vel leviolem delinquenti irrogare pœnam, immo de jure suo aliquid remittere. Sed singula hæc repugnant Deo  
omni-



omniscio & essentialiter iusto, neque aliter Ei tribui possunt, quam si quis vellet impie concipere, Deum humanis laborare imperfectionibus.

## CAP. II.

DE

## OBLIGATIONE HOMINIS AD RELIGIONEM, VOLUNTATI DIVINÆ CONFORMEM.

## §. 38.

**P**ossemus quidem hanc materiam brevissime expedire, & aliquot positionibus totam includere, ut tamen morosos adversarios fortius convincamus, eorumque supremam detegamus stultitiam, nec non simul nobis ipsis, ad religionis negotium legitime instituendum, motiva addamus, ex natura rei petita, aliquanto distinctiorem heic proponere volumus de religione tractationem, adhuc tamen in genere quasi spectatam, in reliquis Prænotionum partibus de religionis naturalis rigore & defectu, nec non Christianæ excellentia & ad finem sufficientia distinctius acturi.

## §. 39.

Omniū consensu eum *Colere* dicimur, cui honorem præstamus, & quatenus aliquem

C 3

quem

quem honore indignum censemus, eatenus ei cultum non exhibemus. Novimus porro proprio & stricto sensu Sempronium non colere Titium nisi sua actione hujus intendat honorem, non vero si actus edit, qui per accidens in ejus cedunt honorem. *Cultum* ergo, in sensu morali & generali, recte collocamus in præstatione actuum, quibus nos declaramus alicujus intendere honorem.

## §. 40.

*Honor* est significatio judicii nostri de alterius perfectionibus. Nemo igitur potest suis actionibus alterius intendere honorem, nisi quatenus ex consideratione perfectionum, quas in altero animadvertit, erga ipsum concipiat venerationem, animoque conceptam, intuitu, h. e. ex motivo earundem perfectionum, actibus declararet. *Cultus* ergo in genere consideratus, comprehendit actus, quorum motiva sunt perfectiones alterius (§. 39.).

## §. 41.

Intelligitur hinc *Cultum Divinum* consistere in præstatione actuum, quibus ostendimus, nos Divini Nominis Gloriam intendere (§. 39.), seu, comprehendere actus, quorum motiva sunt perfectiones Divinae, vel qui per perfectiones Divinas, tanquam motiva, determinantur. (§. 40.).

Deus



Deus enim absolute summa gaudet perfectione, neque ideo ulla veri nominis concipi potest perfectio, quæ Deo non competat: Est sibi ipsi sufficientissimus, nec ulla re externa quomodocunque indiget. Non aliis ergo Deum colere potest homo actionibus, quam quibus testetur se agnoscere perfectiones Dei summas. Quam longissime ergo absit putemus, hominem cultu Divino aliquid veræ perfectionis Deo adjungere. Clarissimum proinde est, cultum Dei in alia non versari, re, quam præstatione actuum, quibus declaramus nos Divinæ Majestatis gloriam intendere, s. quorum motiva sunt perfectiones Divinæ. Neque aliam notionem cultus Divini tradit Apostolus Paulus, ideo reprehendens gentiles, quod ex consideratione perfectionum Divinarum suas actiones ad Deum glorificandum non determinaverint. Rom. I: 21, 28. Auctor *Vindictarum gratiæ Evangelicæ*, pag. 17. putat, notionem cultus Divini, quam adprobavimus, eo nos deducere ut non quærenda sit revelatio, & mandatum revelatum esse motivum actionum: Sed adeo debilis est hæc instantia, ut se ipsam confutet: Nam quæ quæso est consequentia: Cultus Divinus consistit in actibus, quorum motiva sunt perfectiones Divinæ. Ergo non quærenda est revelatio.

Ergo mandatum revelatum non est motivum actionum. Potius, quum inter perfectiones Divinas sit summa & gratiosissima Dei voluntas, per quam existit revelatio & mandatum revelatum, contraria inde deducitur conclusio, colendum scilicet esse Deum, juxta modum, quem in verbo suo præscripsit.

## §. 42.

Patet ex his I.) *Eum, qui Legem Nat. servat, Deum colere.* Nam qui servat Nat. legem suas actiones conformat ad perfectiones Divinas (§. 21.). Tunc autem actiones nostras ad perfectiones Divinas conformamus, quando agendi motiva ex illis petimus (§. 14.), sed dum agendi motiva ex perfectionibus Divinis petuntur, Deum colimus (§. 42.). Ergo.

II.) *Eo ipso, quo quis Legem Nat. transgreditur, Deum non colere.* Nam legem Nat. transgrediens, actiones præstat cum perfectionibus Divinis pugnantes, & ideo actionum suarum motiva à perfectionibus Divinis non modo non petit, sed & illa sequitur, quæ eis contraria sunt. Sed qui Deum colit, actus præstare debet, qui per perfectiones Divinas, tanquam motiva, determinantur (§. 41.). Ergo.

## §. 43.



## §. 43.

*Ad Deum complete colendum perfecte obligantur omnes & singuli homines.* Nam perfecte obligantur omnes suas actiones, & internas, & externas ad legem Nat. componere (§. 24.). Ergo perfecte obligantur in omnibus & singulis actionibus Deum colere (§. 42.), & ideo, plenum & completum Deo exhibere cultum.

Plenum hunc cultum præstare potuit homo integer; in statu autem corrupto, mirum quantum ab eo deficit, & ideo in naturali suo statu versans, iram Dei promeretur. Sed de hac re plura in Parte Prænot, 4.

## §. 44.

Docent modo ostensa tam late patere cultum Divinum, quam late extenditur custodia legis Nat. ab homine præstanda. Quoniam tamen officia, quæ injungit Lex Nat. pro triplici, circa quod versantur, objecto, Deo, aliis hominibus, & nobismetipsis, tria statui solent, erga Deum, proximum, & nos ipsos; Cultum Divinum in immediatum & mediatum distinguere licet. *Immediatus Dei cultus*, qui etiam strictiori significatu, sine addito, *cultus Dei* adpellari solet, constituitur præstatione ætuum, qui circa Deum proxime & immediate versantur, & quorum motiva sunt perfectiones Divinæ. *Mediatus autem Dei*  
C 5 cul-

*cultus* absolvitur præstatione actuum, qui proxime & immediate circa alios homines & nosmetipsos versantur, quorum etiam motiva sunt perfectiones Divinæ.

Facile vides, illos, lege Divina præscriptos actus, qui nosmetipsos & alios homines proxime & immediate respiciunt, eatenus Divini cultus rationem habere, quatenus ad Deum, tanquam omnium humanarum actionum finem, ultimo referuntur, atque in Eius gloriam fiunt, h. e. quatenus eorum motiva sunt perfectiones Divinæ; minime autem si perfectio & utilitas nostra horum actuum unicum esset motivum: Nam sic quoque posset atheus, qui propriæ utilitatis gratia suas suscipit actiones, Deum colere, quod plane absurdum. Sollicite vero cavendum, ne alio sensu mediatum Dei cultum accipias, quam quo nos illum explicuimus: Nam si putas mediatum cultu licitum esse, vel mediante alio objecto Deum colere, vel actionum motiva ex propria derivare utilitate, à rei veritate vehementer dissens, & vel idololatriæ, vel atheismo latam recludis portam.

§. 45.

*Illam est inter cultum Dei immediatum & mediatum connexio, ut & illum & hunc complete præstare teneatur homo.* Omnium enim & singularum actionum motiva ex perfectionibus Divinis petere debent homines, quia ad Deum complete colendum perfecte obligantur (§. 43.). Actiones autem hominum morales versantur vel circa Deum vel  
pro.



proximum & nosmetipsos. Illæ cultum Dei immediatum, hæ mediatum absolvunt. Illum ergo æque ac hunc præstare tenentur homines.

Homini itaque, siquidem suæ obligationi ex asse, prout debet, satisfacere cupit, non est permissum vel in mediato, vel immediato Dei cultu acquiescere, altero neglecto; Nam in tantum peccat, quantum omittit. Immo ausim dicere, neminem posse vero & sincero cultu immediato Deum venerari, nisi simul cultu mediato Eum honoret; Fieri enim nequit, ut quis erga Deum in officiis, quæ illum concernunt, se perfecte obedientem præstet, & non simul Ejus in aliis objectis exsequatur mandata. Neque possibile est, ut quis cultu mediato, vero scil. & sincero, Deum colat, h. e. ex intentione animi actionum, quæ se ipsum & alios homines proxime respiciunt, ex perfectionibus Divinis petat motiva (§. 44.), & tamen has perfectiones omni conamine non veneretur. Conjunctissimi ergo esse debent cultus Dei immediatus & mediatum.

§. 46.

Etsi quoad Deum & Legem Ejus, omnia nostra officia perfectæ sint obligationis, in relatione tamen ad diversa objecta, erga quæ officia ista præstare debemus, sunt vel perfectæ vel imperfectæ obligationis, ita tamen, ut illa, quæ Deum proxime concernunt, & immediatum Dei cultum absolvunt (§. 44.), perfectæ semper sint obligationis, immo eo usque, at in casu collisionis,

*nis, reliqua omnia, quæ ad cultum Dei mediatum spectant, facile vincant.* Nam officia erga ipsum Deum proxime & immediate derivantur ex infinita Dei excellentia & absolute summo Ejus in omnes homines jure, hominumque ab illo omnimoda dependentia. Illa ergo eam habent naturam, ut, malo passionis representato, jure à Deo postulentur (§. 6.), & ideo perfectæ semper sint obligationis (§. 10.). Inter officia, quæ nobismetipsis & aliis debemus hominibus, licet haud pauca sint perfectæ obligationis; quia tamen tota hæc obligatio nisi ex jure imperii Divini non derivatur, facile patet, officia, quæ Deo immediate debemus, in casu collisionis, ubi utrique obligationi simul satisfieri nequit, longo intervallo post se relinquere officia, quæ nobismetipsis & aliis præstare obligamur.

Sic cultu Dei immediato mandata Ejus exsequi debemus, debemus quoque magistratui obsequium præstare, sed si heic occurrat collisio, Deo magis, quam hominibus est parendum Act. 4: 19. 5: 29.

§. 47.

*Quilibet homo ad existentiam & infinitas Dei perfectiones agnoscendas, perfecte obligatur.* Nam ad Deum colendum perfecte obligatur quilibet homo (§. 43.). Sed cultus Divinus, immediatus scilicet, nam de illo



lo. unice agere constitui, absolvitur præstatione actuum, Deum immediate concernentium, quorum motiva sunt perfectiones Divinæ (§. 44.). Motiva sine representatione & agnitione rei in mente dari nequeunt. Quilibet ergo homo ad agnitionem Dei & perfectionum Ejus sibi comparandam perfecte obligatur.

## §. 48.

*Qui itaque in hac comparanda cognitione est negligens, graviter peccat.* Nam contra suam obligationem agit. Hic ergo neglectus non modo tollit cultum Dei, sed & toti Legi Nat. internecionem minatur, & consequenter est grave peccatum. Noxium ergo & æternis poenis dignum est multorum hominum præjudicium, quo sibi & aliis persuadere non verentur, distinctam rerum Divinarum cognitionem, non sibi, sed Theologis, esse necessariam, sibi vero qualemcunque Dei cognitionem sufficere, & vix se elementari habere opus, quasi solus Theologus deberet completum Deo exhibere cultum & in legis Divinæ observantia desudare. O! magnam mentis cæcitatem, quæ non alium, quam principem tenebrarum, habet auctorem, qui optime videt se hoc stratagemate posse permovere homines ad quævis flagitia, immo ad Divini cul-

cultus contentum, eosque sic in miserrimum post hanc vitam detrudere statum.

§. 49.

*Quem ad modum motiva cultus Divini primario & principaliter non ex perfectione nostra propria & sociali commodo, sed unice ex perfectionum Divinarum consideratione, sunt petenda, ita principalis & ultimus cultus Divini finis esse debet non propria nostra perfectio, vel sociale aliquod commodum, sed unice & tantum Gloriam Divine manifestatio.* Fingas primaria cultus Divini motiva ex propria perfectione & utilitate vel sola, vel simul ex sociali commodo esse petenda, motiva itaque ex perfectionibus Divinis derivata, essent non nisi secundaria, quæ, consequenter, salva cultus Divini natura possent abesse (§. 1345. Syst. Met.). Sed hoc repugnat definitioni cultus Divini. Ejus ergo primaria motiva peti nequeunt ex perfectione nostra.

Fingas iterum principalem & ultimum cultus Divini finem non esse gloriæ Divine manifestationem, sed felicitatem vel propriam vel simul socialem, gloriæ Divine manifestatio non nisi secundarii finis rationem subiret, posset itaque abesse, salva cultus Divini indole, & salva ad eum præstandum obligatione (§. 1345. Syst. Met.). Sed utrumque esse absurdum docent prius de-



demonstrata. Ergo principalis & ultimus cultus Divini finis alius esse nequit, quam gloriae Divinae manifestatio.

Sic si ad Deum colendum, & verbum Ejus audiendum, vel solius curiositatis gratia, ut fecere Athenienses Act. 17 : 21. vel tantum ob victum quotidianum, ut fecere Judaei Joh. 6 : 26. verbis Christi ideo castigati, vel tantum ut malum aliquod evites, vel ob aliud quodcumque proprium bonum, accedis, & ex his motivis omnem cultus Divini rationem dirigis, impingis in praesentem, quam demonstravimus, propositionem.

§. 50.

Diximus (§. 44.) cultum Divinum constitui praestatione actuum, qui circa Deum occupantur, & quibus Dei Gloriam intendimus. Sunt vero actus, quos homo ex libertate & intentione edit, vel interni vel externi. Ergo cultum Dei dispecimus in *Internum* & *Externum*, quorum ille actibus internis, hic externis, seu, motu organorum corporis, Deum immediate concernentibus, & in Dei gloriam directis perficitur. Quum homo complete Deum colere debeat (§. 43.), evidens est eum obligari ad cultum tam internum, quam externum.

§. 51.

Inter internos, cultus Divini, actus primo loco poni solet amor Dei. Docet Psychologia,

gia, nos actu ipso amare alterum, quando prompti sumus ad capiendam voluptatem ex alterius felicitate, amoremque in animis nostris erga alterum eo majorem excitari, quo excellentioribus eum ornatum intuemur perfectionibus, & quo propiorem majoremque ad nostram felicitatem illæ habent relationem. Deus excellentissimis eminet perfectionibus, & sibi ipsi est sufficientissimus, omnisque nostræ felicitatis est fons & ratio, Ergo homo tunc *Deum amat*, quando promptus est ad maximam ex summis Dei perfectionibus percipiendam voluptatem.

## §. 52.

*Qui Deum amat, is gloriam Ejus, quantum in ipso est, promovere studet, & vicissim, qui gloriam Dei, quantum penes se, promovere studet, is Deum amat.* Veri amoris eam esse naturam docet Psychologia, ut, qui alterum amat, is perfectiones ejus, quantum in ipso, promovere studeat. Est Deus sibi metipso sufficientissimus, nec ulla re externa quomodocunque indiget. Vult vero ut homines infinitas suas perfectiones agnoscant (§. 13.). Homo igitur alia ratione promovere nequit Dei perfectiones, quam ut actionibus suis testetur se illas agnoscere, h.e. gloriam Dei promoveat (§. 91. P. 1.). Ergo qui Deum amat, is gloriam Ejus,



Ejus, quantum unquam potest, promovere studet. Porro. Qui gloriam Dei, quantum penes se, promovere studet, is omni conatu in id incumbit, ut actibus testetur se agnoscere infinitas Dei perfectiones (§. 91. P. 1.). Itaque in hos actus fertur omni appetitu, omnique animi voluptate, & ideo testatur se summam voluptatem ex infinitis Dei perfectionibus percipere; hocque modo Deum amat (§. 51.).

§. 53.

*Homo perfecte obligatur, gloriam Dei super omnia promovere.* Nam homo perfecte obligatur instituere actiones suas liberas perfectionibus Divinis conformiter (§. 16.), immo etiam agnoscere infinitas Dei perfectiones (§. 47.). Ergo ad id perfecte obligatur, ut suis actionibus testetur se infinitas Dei perfectiones agnoscere. Sed hoc modo gloriam Dei promovet (§. 91. P. 1.). Ergo ad gloriam Dei promovendam perfecte obligatur homo. Perfectiones Divinae infinitum superant perfectiones reliquorum entium: sed homo perfecte obligatur perfectiones Divinas, scil. ut Divinas, agnoscere, simul itaque obligatur gloriam Dei super omnia promovere.

Gloria Divinae manifestatio est principalis finis, quem Deus in omnibus suis actibus, super omnia, intendit.

- PARS III.

D

dic

dit (§. 94. P. 1.), & propter quem homines creavit (§. 112. P. 1.). Dubitari ergo nequit, quin etiam velit, quod homines super omnia Dei gloriam promoveant.

## §. 54.

*Ad Deum toto animo, omnibus viribus, & omni conamine, super omnia amandum, perfecte obligamur.* Nam perfecte obligamur singulas nostras actiones tam internas, quam externas, atque ideo totum animum & conatum, immo omnes vires, ad legem Nat. componere (§. 24.), & consequenter ad gloriae Divinae manifestationem instituere (§. 21.). Perfecta obligatione simul tenemur gloriam Dei super omnia promovere (§. 53.). Sed qui gloriam Dei, quantam penes se, promovere studet, is Deum amat (§. 52.). Ergo ad Deum dicto modo amandum perfecte obligamur.

Eandem hanc propositionem contra Pharisaeos urget Salvator Sanctissimus Matth. 22: 37. Marc. 12.: 30. Luc. 10: 27, ut ostendat eos propriis viribus legi Dei satisfacere non posse, quod in argumento contra Naturalistas ulterius evolvere conabor.

## §. 55.

Amor erga Deum *Filialem* generat *Timorem*, qui est sollicitudo nihil agendi, quod voluntati Divinae sit adversum.



Vox *Timor*, dum ad Deum refertur, tam late interdum sumitur, ut totum cultum Divinum comprehendat, ut Job. 28:28. Sed ab hac lata significatione hoc loco discedimus, per timorem, peculiarem animi affectum denotantes, ab amore, spe & fiducia distinctum. Atque hoc strictiori sensu timor accipitur Prov. 1. 7. Ps. 3:10. ubi ut initium sapientiæ, h. e. salutis Dei cognitionis, commendatur.

## §. 56.

*Deus est timendus timore filiali.* Deus, toto animo & super omnia, est amandus (§. 54.), & ideo super omnia glorificandus (§. 52.). Sed nihil vult Deus nisi quod ad gloriam suam manifestandam tendat (§. 94. P. 1.). Ergo qui Deum amat, magna sollicitudine ea agere studet, quæ vult Deus, & consequenter nihil agere, quod non vult. Quamobrem, quum timor filialis sit sollicitudo nihil agendi, quod voluntati Divinæ sit adversum (§. 55.), evidens est nos ad timorem filialem obligari.

Videmus hinc timorem filialem ita profluere ab amore erga Deum, ut nisi cum amore conjungatur timor, amor non sit sincerus; Nam quo modo quæso dicere possumus, eum toto animo amare Deum, qui de eo non est sollicitus, an ab amore Dei & communione cum illo separetur vel minus? Deus autem neminem amat, neque ad communionem secum admittit, nisi eum, qui legem & voluntatem Dei exacte observat. Itaque sincerus erga Deum amor id efficit, ut sollicitus sit homo de non agendo, quod voluntati Divinæ sit adversum.

## D 2

## §. 57.

## §. 57.

Timori Dei filiali opponitur, ab uno latere, vilipendium Dei, ab altero, timor servilis: Homines enim, qui Deum timore filiali non timent, aut fusque deque habent infinitam Dei maiestatem, nec curant peccatis eum irritare, nec de Ejus ira vel benevolentia solliciti sunt; aut tantum ob metum pœnæ à peccatis abstinēt. Consistit ergo *Vilipendium* Dei in neglectu omnis sollicitudinis abstinendi ab eo, quod voluntati Divinæ sit adversum. *Timor servilis* involvit quidem aliquam sollicitudinem, sed non nisi à motu pœnæ excitatam non agendi, quod Deo sit adversum. Ergo qui Deum timore servili timet, non abstinēt à peccato, quia id Deo displicet, & Eum, ut summum bonum offendit, sed unice ut evitet vindictam. Ergo servus ille nullo amore Dei ducitur, nec ob amorem erga Deum a peccatis abstinēt.

## §. 58.

*Tam vilipendium Dei, quam timor servilis, grave est vitium, quod fugere debent omnes homines.* Nam qui Deum vilipendet, fusque deque habet infinitam Dei maiestatem, nec curat peccatis Eum irritare (§. 57), itaque de gloria Divina promovenda non modo non est sollicitus, sed contemnit quoque



que summum Dei in se dominium, & ideo (per prius demonstr.) multiplici nomine contra perfectam suam obligationem agit, gravissimumque committit peccatum. Tantum ergo vitium fugere debent omnes homines.

In timore servili sincero Dei amori non datur locus (§. 57.), sed ad Deum toto animo super omnia amandum perfecte obligantur omnes homines (§. 54.). Ergo contra hanc obligationem graviter peccat servus iste. Nemo itaque credat timorem servilem, quia oritur ex consideratione vindictivæ Dei justitiæ, ad cultum Divinum pertinere: Nam excludit genuinum Dei amorem, neque putandum est dari in cultu Divino contradictoriam. Quare etiam timor ille in Scriptura Sacra rejicitur Job. 19:20, 21. & quidem ut amori inimicus 1. Joh. 4:18.

## §. 59.

*Fiducia in Deum* est ille animi actus, quo quis meliora certo sperans, se totum, resque suas omnes, Divinæ providentiæ committit. Quam ob rem, quum Deus bonitatem semper exerceat sapientissime, qui Deo confidit, pro certo habet, Eum providentia sua tantundem boni in se collaturum esse, & tantundem mali à se aversum,

quantum salva Ipsius sapientia fieri possit, &, si quæ ipsi obventura sint mala, in bonum finem esse directurum. Ergo se totum providentiæ Divinæ committit.

Hanc fiduciam cum ea, quæ in articulo de justificatione traditur, non confundamus, nam illa in statu integro locum habuit, eam autem sine hujus fundamento nunc non dari in 4 & 5 Prænotionum partibus demonstrabitur.

§. 60.

*Nemo in Deo fiduciam ponere potest, nisi qui animo plene sit convictus de Dei omnipotentia, omniscientia, infinita sapientia & bonitate, qua ei individuo velit Deus optima quæque conferre.* Nam fiducia in Deum est ille animi actus, quo quis optima quæque certo sperans, se totum providentiæ Divinæ committit (§ 59.). Ergo qui Deo confidet, certus esse debet non modo de providentiæ Divina in genere, sed etiam de eadem ad quemvis casum individuum adplicata. Infert vero Dei providentia omniscientiam (§. 2. P. 2.), qua Deus exactissime novit & præcognoscit, quid creaturis conducatur, quid non; *infinitam sapientiam* (§. 20. P. 2.), qua non modo optima eligere potest media, sed etiam illa inter se & cum fine ultimo exactissime combinare, & ideo, omnium optime scit, qua ratione & quo modo nostrum bonum promove-



moveatur; *bonitatem supremam* (§. 20. P. 2.), qua promptus est ad conferenda bona, quæ unquam dari possunt; *omnipotentiam*, cujus exercitio actiones Dei ad extra producuntur, & ideo omnia illa efficere valet, quæ nostro interserviant commodo. Viva itaque & certa cognitio harum Dei perfectionum illius occupabit animum, qui in Deo fiduciam ponit.

Eadem hæc fiduciæ, in Deo collocandæ, requisita urget & commendat Scriptura S. ut *omnipotentiam* & *omniscientiam* Ps. 121 : 2, 3. Rom. 4 : 21. 2. Tim. 1 : 12. *Omnisapientiam* 2. Petr. 2 : 9. *infinitam bonitatem* Ps. 13 : 6. 36 : 8.

## §. 61.

*Ad fiduciam in Deo collocandam perfecte obligamur.* Homo perfecte obligatur gloriam Dei super omnia promovere (§. 53.). Verbis itaque factisque testari debet se agnoscere infinitas Dei perfectiones (§. 91. P. 1.), inter quas continentur *omnipotentia*, *omniscientia*, *infinita sapientia* & *bonitas*. Homo ergo testari debet se has agnoscere. Ex harum autem agnitione oritur fiducia in Deum (§. 60.). Ergo ad fiduciam in Deo collocandam perfecte obligatur homo. Prout etiam ostendit Psalmista Ps. 37 : 3-7. 55 : 23.

## §. 62.

Facile intelligitur ex hac fiducia oriri *acquiescentiam in providentia Divina*, qua animus, se totum providentiæ Divinæ committens, quicquid in illa à Deo fit, sive agendo, sive permittendo, in quovis casu ut optimum adprobat, semper ergo cum regimine DEI est contentus. Obligatur homo ad fiduciam in Deo ponendam (§. 61.). Ergo etiam obligatur ad *acquiescentiam in providentia Divina*.

## §. 63.

Interni cultus Divini actus, quos hæcenus breviter delineavi, quum maxime per invocationem & gratitudinem mentalem, nec non celebrationem nominis Divini se exferant; de his quædam mihi sunt dicenda. Est autem *Invocatio mentalis*, s. *Invocatio Numinis*, desiderium mentis, boni, quod habemus, per Deum conservandi; & quod non habemus, obtinendi, malique aut depellendi, aut in bonum finem dirigendi. Per *Desiderium* hoc loco intelligimus actum voluntatis, quo vehementer volumus, ut quid fiat.

## §. 64.

*Nemo Deum invocat, nisi qui habeat vivam cognitionem suæ, sine ope Dei, indigentiae, & simul infinitæ Dei scientiæ, potentiae, im-*  
mo



ma gratiæ, & benignitatis, non generalis solum, sed, juxta desiderium suum præsens, ad se in individuo adplicandæ. Nam qui invocat Deum, desiderat & ideo vehementer vult, ut Deus sibi det bonum, vel datum conferret, mala depellat, vel in bonos fines dirigat (§. 63.). Necessè itaque est, ut suam sine ope Dei indigentiam vivide intueatur: Nemo enim, ut communis docet experientia, alterius expetit opem, multo minus vehementer expetit, nisi cogitet se illa indigere, & se sine illa non posse desideratum consequi finem. Porro, ex definitione invocationis (§. 63.) patet, eum, qui Deum invocat, vehementer velle, ut Deus suam bonitatem & gratiam erga se in individuo exerceat, & quidem sapienti directione. Quam ob causam, quum hoc bonitatis Divinæ exercitium sit actus Dei ad extra transiens, & idcirco exercitio omnipotentia Divinæ perficiatur, à parte invocantis requiritur viva cognitio 1.) *Omnipotentia Divina*, qua certus redditur DEUM posse facere, quod desiderat. 2.) *Scientia*, qua convincitur Deum optime nosse sua desideria, nosse etiam, quod & quale bonum sibi expediat. 3.) *Sapientia*, qua convincitur, Deum sibi conferre posse bona, quæ summæ suæ felicitati, quam desiderat, inserviant, & mala in bonos fines dirigere. 4.) *Summe Dei*

*Dei bonitatis*, qua convincitur Deum esse proum ad bona creaturis conferenda. §.) *Huius gratiæ & bonitatis ad se in individuo adplicandæ*, qua convincitur Deum velle sibi conferre bona, sine qua etiam frustra Deum invocaret: Nam quis invocat eum, quem ad se & suam indigentiam sublevandam vel tollendam flectere non posse credit?

## §. 65.

*Qui invocat Deum, is intensiori mentis actu declarat, se in præsentī statu, Ejus auxilii esse indigum, & de eo obtinendo fiduciam in Deo ponere. Et vicissim, qui hoc ipsum, intensiori mentis actu declarat, is Deum invocat.* Nam qui invocat Deum, is intensiori mentis actu declarat, se in præsentī statu auxilium Dei expetere (§. 63.), seque opis Divinæ esse valde indigum, immo vivide agnoscere infinitam Dei sapientiam, scientiam, potentiam, bonitatem non generalem solum, sed & juxta desiderium suum præsens ad se in individuo adplicandam (§. 64.), sed ex agnitione harum Dei perfectionum oritur fiducia in Deum (§. 60.). Ergo qui Deum invocat, intensiori mentis actu declarat, se in præsentī statu ejus auxilii esse indigum, & de eo obtinendō fiduciam in Deo ponere.

Vicissim fingamus aliquem sine laudato mentis actu Deum invocare, etiam is Deum in-



invocaret, qui nihil à Deo expeteret, non propriam indigentiam nec Divinam sapientiam, potentiam & bonitatem agnosceret. Quod per naturam invocationis est absurdum (§. 64.). Intelligimus ergo actum illum mentis, dicto modo declaratum, esse necessarium invocationis requisitum.

## §. 66.

*Homo perfecte obligatur ad invocationem Numinis.* Homo perfecte obligatur ad promovendam gloriam Dei super omnia (§. 53.), ideoque actu intensissimo, majestatem & gloriam Dei agnoscendam & declarandam. Per ante demonstrata constat, Deum per creationem, conservationem, concursum & gubernationem, intendere infinitæ suæ majestatis declarationem, Deumque his actibus, rebus creatis non modo existentiam & agendi vires contulisse, sed adhuc conservare & dirigere, ita ut sine concursu Divino, nihil boni agere & præstare queat creatura, Eumque solum esse omnis boni datorem & auctorem, ita ut singula læta & tristia non cæco casu, sed provida Dei cura nobis obtingant (§. 23. P. 2.). Ergo perfecte obligatur homo, actu etiam intensissimo, suam, sine ope Dei, indigentiam, & humilitatem, Dei vero supremam majestatem agnoscere: obligatur quoque fiduciam  
in

in DEO, quovis actu, & quovis tempore collocare (§. 61.). Ergo simul obligatur ad invocationem Numinis (§. 65.).

## §. 67.

Naturæ & nostræ & rei ipsius nihil magis est conveniens, quam quovis modo extollere eum, qui per se & in se omni gloria est dignissimus. Oritur hinc *Nominis Divini Celebratio*, quæ est actus, quo, quantum penes nos, omni ratione ostendimus & declaramus, attributa & opera Divina maximi esse facienda, h. ei ob absolutam eorum perfectionem, aliis rebus omnibus longe præferenda. Patet itaque ad celebrationem nominis Divini non sufficere nudam summorum Ejus attributorum & operum, creationis, providentiæ, &c. enarrationem, sed simul & potissimum omni conamine, omnique ratione ostendi debere, quam infinitæ excellentiæ sint Dei attributa & opera, & quantum boni in creaturas ab illis redundet.

## §. 68.

Cum celebratione Dei statim conjungimus *Gratiarum actionem*, quæ est celebratio nominis Divini ob beneficia nobis & aliis collata, cum significatione voluntatis præstandi debita obsequia. Sub bonorum collatione



tionem etiam comprehendo mali aversionem; bonum enim est non premi malo.

## §. 69.

*Ad Deum celebrandum & gratiarum actionem Ei præstandam perfecte obligamur.* Nam homo perfecte obligatur, gloriam Dei, super omnia, promovere (§. 53.), debet ergo simul Deum celebrare & gratiarum actionem Ei deferre (§. 67. 68.).

Quem ad modum in humanis, nihil hominem magis ornat, quam eum laudare & ei gratias agere, à quo accepit beneficia, suis non provocata meritis, ita maximam contrahit ignominiam, qui Deum, ob innumera, quibus indies cumulatur, beneficia, vere gratuita, non celebrat, nec Ei gratum declarat animum. Profecto, qui hoc negligit, aut nullo illorum beneficiorum tangitur sensu, atque sic omnem humanitatem amisit; aut beneficia illa nihili æstimat, & sic ipsum summum datorem contemnit, magnopere idcirco in Divinam majestatem est injurius; aut denique beneficia illa non esse beneficia somniat, sed mercedem ob præstitam obedientiam. Quodlibet horum adeo est absurdum & impium, ut vel nominatum jure censeatur confutatum.

## §. 70.

*Qui alios homines sincero amore non amplectitur, Deum toto animo non amat.* Ille enim est sinceri amoris effectus, ut amati perfectiones, quantum penes se, promoveat. Homo igitur, alios homines sincere non amans,

mans, eorum perfectiones non promovere studet. Deus autem non modo summa gaudet promptitudine omnibus, omnes, quæ dari possunt, conferendi perfectiones (§. 114. 115. P. 1.), sed etiam, actu ipso, cui-libet tantum confert perfectionis, quantum salva gloriæ suæ manifestatione fieri potest (§. 116. n. 4. P. 1.). Immo, pro omnibus & singulis hominibus specialem providentiam gerit (§. 27. P. 2.). Ergo qui alios homines sincere non amat, is suas actiones perfectionibus Divinis non conformat, & ideo gloriam Dei non promovet, consequenter Deum non amat (§. 52.).

Ergo mendax est, qui dicit se amare Deum, & proximum tamen non amat: Nam qui non amat proximum, quem tamen ante oculos habet, quo modo amabit Deum, quem non videt? graviter urget St. Johannes 1. Ep. 4: 20.

### §. 71.

*Perfekte obligamur alios homines sincero amore amplecti.* Nam perfecte obligamur, Deum toto animo amare (§. 54.). Sed ex modo demonstratis (§. 70.) facile intelligitur, eum, qui toto animo Deum amat, debere etiam sincero amore alios amplecti homines. Ergo ad alios homines sincere amandos perfecte obligamur.

Est hæc obligatio quoad summum legis rigorem & supremum Legislatorem, unde non sequitur quoad legi



legi subditos, alteri eorum competere perfectum  
jus, postulandi ab altero beneficia.

## §. 72.

*Quilibet homo perfecte obligatur, eo, quantum penes ipsum est, perducere alios homines, ut Deum, toto animo & super omnia, ament, & gloriam Ejus promoveant.* Nam quilibet homo perfecte obligatur, sincero amore alios amplecti homines (§. 71.). Sed qui alterum amat, is perfectiones ejus, quantum in ipso est, promovere, & imperfectiones ab eodem removere studet (§. 411. Pf. Emp.). Ergo quilibet homo perfecte obligatur, alterius cujusvis hominis perfectiones, quantum unquam valet, promovere, & imperfectiones ab eodem removere. Sed major dari nequit perfectio & felicitas, cujus homo est capax, quam quæ consistit in unione cum Deo & Ejus fruitione, nec ullum ad hunc felicitatis gradum perungere posse, nisi qui Deum toto animo amet, facillimo intelligitur negotio. Ergo quilibet homo perfecte obligatur, eo perducere alios homines, ut Deum toto animo ament, & consequenter gloriam ejus super omnia promoveant. (§. 52.).

## §. 73.

*Hinc sequentia deducimus corollaria. I.)*  
*Quilibet homo perfecte obligatur, alios homines*

*ad*

ad agnitionem Dei perducere: Nam sine illa manifestari nequit Dei gloria.

II.). Nemo ergo alterum à cognitione Dei avocare, multo minus errores de Deo animo ejus instillare debet.

III.) Verbis factisque coram omnibus non modo ipse testari debet, se agnoscere infinitas Dei perfectiones, sed etiam suo exemplo alios ad idem præstandum commovere. Nam si quid horum omitteret, gloriam Dei super omnia non promoveret, neque curaret, ut alii gloriam Dei super omnia manifestarent, quod utrumque perfectæ ejus obligationi repugnat (§. 53, 71.).

§. 74.

*Homo ad cultum Dei externum perfecte obligatur*: Perfecte enim obligatur, verbis factisque, coram omnibus & singulis, testari se agnoscere infinitas Dei perfectiones, & significare se Deum maximi facere (§. 73.). Sed actus externi s. motus corporis nostri, in Dei gloriam directi, cultus Dei externi titulo continentur. Ergo ad cultum externum perfecte obligamur.

Rursus. A quovis facile conceditur, quod & nos antea demonstravimus, hominem perfecte obligari, ad DEUM omnibus animæ suæ viribus colendum (§. 54.).  
Sed



Sed sufficiunt animæ vires ad producendos certos in corpore motus, intentioni voluntatis conformes, nam verum est Systema influxus Physici, prout in Psychol. Rationali ostendimus. His viribus positis, seu, applicatis, ponitur motus in corpore, nisi impediatur (per princip. Metaph.). Nullum autem hoc loco est impedimentum, non supponitur hominem habere corpus sanum, & externis causis non impeditum. Ergo perfecte obligatur homo colere Deum etiam his animæ suæ viribus, quibus producuntur motus voluntarii in corpore, animæ intentioni respondentes. Sed hi motus cultum externum constituunt. Ergo ad Deum, actionibus externis colendum, perfecte obligamur.

## §. 75.

*Religio*, in genere considerata, est certa ratio, seu, determinatus modus Deum colendi.

Sic aliam religionem Turcis, aliam Judæis, aliam gentilibus, aliam Christianis tribuentes, intelligimus alio modo Turcas, alio Judæos, alio gentiles, alio Christianos Deum colere.

## §. 76.

Cultus Dei duo continet momenta, videlicet, agnitionem Dei ac perfectionum Ejus; & deinde præstationem actuum, quorum

PARS III.

E

rum

rum motiva sunt perfectiones Divinæ. Ex horum priori determinatur posterius. Itaque, quum religio sit certus modus colendi Deum (§. 75.), modusque colendi Deum ab ipso cultu separari nequit; *omnis religionum diversitas, consistens in diverso modo Deum colendi, pendet ex varia ratione, qua Deus & perfectiones Ejus cognoscuntur.*

Ita verb. gr. discrimen inter Judæorum & Christianorum religionem dependet ex diverso modo, quo hi & illi Deum & res Divinas cognoscunt: Illorum enim opinio est, Messiam sibi adhuc expectandum esse, eumque terrenum & maxime splendidum, interim vero æternam salutem comparari oportere legum Mosaicarum, maxime Cereimonialium adimplerione: Hi ex Scriptura edocti sunt, Messiam dudum venisse, ejusque regnum non esse seculare & terrenum, sed spirituale & cœleste, hominesque non operibus suis, sed vera in Christum fide justificari. Hi ergo diversa à Judæis ratione Deum colunt, diversamque ideo ab illis habent religionem.

§. 77.

Quoniam cognitio de Deo & perfectionibus Divinis est fundamentum religionis, ex cujus varietate diversitas religionum pendet (§. 76.); in eo distingvitur *Vera religio à Falsa*, quod illa consistat in modo Deum colendi, derivato ex vera de Deo & perfectionibus Divinis cognitione. Hæc autem sita sit in modo Deum colendi, ex falsa



sa de Deo & perfectionibus Divinis cognitione formato.

In legitimo veræ & falsæ religionis discrimine statuendo, non tam ad cultum externum, quam potius internum, ejusque fundamentum attendi debet. Posunt enim diversæ religionis homines in cultu externo conspirare, sed differre cultu interno, qui externi est fundamentum: Nam fieri prorsus nequit, ut animus crassus, de Deo & rebus Divinis, occupatus erroribus, possit vero amore, timore, fiducia, aliisque cultus interni partibus, Deum prosequi. Et licet videatur quædam religiones easdem cultus interni partes retinere; quatenus tamen eas non ex eodem purissimo fonte derivant, Deusque magis ad intentionem agentis, quam ipsam actionem respicit; evidens est diversam de Deo & rebus Divinis cognitionem esse firimum religiones distinguendi fundamentum.

§. 78.

*Religio vera est conformis perfectionibus Divinis; Falsa autem cum illis pugnat.* Nam religio vera consistit in modo Deum colendi, ex vera Dei & perfectionum Divinarum cognitione derivato (§. 77.). Falsa autem pendet ex erronea de perfectionibus Divinis notitia (§. cit.), ostendit Logica, cognitionem rebus conformem esse veram, notitiam vero cum rebus ipsis pugnantem esse falsam. Ergo religio tunc est vera, quando conformis est perfectionibus Divinis, tunc autem falsa, quando cum illis pugnat.

## §. 79.

Vult Deus, ut singulæ hominum actiones sint perfectionibus Divinis conformes (§. 13.), quod ergo cum illis pugnat, nunquam velle potest, *Quam ob rem religio vera est, qua Deus vult coli; falsa, qua Deus non vult coli* (§. 78.).

Omnis itaque religio, qua Deus colitur quidem, sed alia, quam Ipse vult, ratione, nomine veræ religionis nunquam venire potest.

## §. 80.

*Homines obligantur ad veram religionem sectandam, & falsam omnem fugiendam.* Nam ad Deum Colendum perfecte obligantur omnes homines (§. 43.). Constituitur cultus Divinus præstatione actuum, quorum motiva sunt perfectiones Divinæ (§. 41.). Sed certus edendorum actuum modus constituit definitam eorum determinationem, qua non tantum ab aliis actibus alterius generis, sed etiam ab aliis alterius speciei discernuntur. Nulla autem determinatio rei interna, à re, ea salva, separari potest. Certus ergo modus Deum colendi, ipsum cultum ingreditur. Consequenter quilibet homo ad certum in cultu Divino modum observandum, perfecte obligatur, & ideo ad religionem sectandam (§. 75.).

Est



Est religio vera voluntati Divinæ conformis, falsa est ei difformis, (§. 79.). Sed homines perfecte obligantur, instituere suas actiones voluntati Divinæ conformiter, easque fugere, quæ ei repugnat (§. 11.). Ergo perfecte obligantur ad veram religionem sectandam, & falsam omnem fugiendam.

## SECTIO POSTERIOR POLEMICA.

### CAP. I.

DE

### IRRELIGIONARIIS.

#### §. 81.

**E**tsi hætenus demonstrata evincant, tam certo dari religionem, eamque veram, quam certum est existere Deum, Qui totum mundum & omnes homines in sui nominis gloriam condidit, & quam certum est omnes homines à Deo omnimode dependere, & ideo suam voluntatem ad arbitrium Divinum componere debere; dantur tamen tantæ nequitiae homines, ut contra religionem hostilia movere arma non vereantur: *Irreligionarii* hi vocantur, suntque vel *Directi*, qui omnem religionem negant; Vel *Indirecti*.

E 3

recti.

recti, qui ea tradunt dogmata, ex quibus sequitur religionis everfio.

§. 82.

*Athei, Deiftæ, & Fataliftæ sunt irreligionarii directi:* Athei, quia Dei negant existentiam, non possunt non eodem impietatis gradu omnem negare religionem. Deiftæ verbis quidem concedere videntur existentiam Dei, re tamen ipsa tollunt omnem Ejus cultum, omnemque religionem (§. 33. P. 2.), & ideo ad directos religionis hostes jure referuntur. Fataliftæ sub Deiftarum numero continentur (§. 38. P. 2.). Ergo non mitius de illis, quam de his ferendum est judicium.

§. 83.

Inter Deismum ab una parte & Materialismum, nec non Pantheismum ab altera, summa est concordia, talisque harmonia, ut ex Materialismo & Pantheismo directe sequatur Deismi commentum (§. 35. P. 2.). Hi ergo memorati errores, eodem modo, ac Deismus, inferunt religionis everfionem (§. 82.).

Observe heic agi de Materialismo & Pantheismo, in se & abstracte, non autem concrete spectatis; Non enim dixerim omnem Pantheistam & Materialistam esse Irreligionarium; id vero affirmaverim ipsum Pan-



Pantheismum & Materialismum ad religionis ever-  
sionem directe ducere.

## §. 84.

*Qui tollunt omnem obligationem Legis Nat.  
& irrefragabili necessitatis legi omnes nostras  
actiones subjiciunt, talia tradunt, quæ per se  
ducunt ad corruptionem morum, & inter Irre-  
ligionarios recte referuntur.* Est obligatio ne-  
cessitas moralis, à jure superioris profecta  
(§. 9.), & quoad Legem Naturæ oritur ex  
absolute summo Dei in homines dominio  
(§. 8. 11.). Ergo qui tollunt obligationem  
Legis Nat. negant omne Dei jus in homi-  
nes, totam Legem Naturæ, omnemque ne-  
cessitatem, se ad voluntatem Divinam ad-  
commodandi. Præscribit Nat. Lex omnium  
nostrarum actionum normam (§. 24.), ju-  
betque Deum super omnia, & proximum,  
quemadmodum nos ipsos, esse amandum  
(§. 54. 70.), religioni quoque sancte esse  
studendum (§. 80.). Qui ergo omnem Le-  
gis Nat. obligationem pro nihilo habent,  
normam actionum, quam Lex præscribit,  
aut plane contemnunt, nec religioni sibi  
ducunt, quævis contraria agere, aut perin-  
de esse existimant, sive ad legem se adcom-  
modent sive minus. Dubio igitur caret, eos,  
qui Legis Nat. obligationem tollunt, talia  
tradere, quæ per se ducant ad corruptio-  
nem morum, & religionis neglectum.

E 4

Qui

Qui immutabili necessitatis legi omnes nostras actiones subjiunt, Fatalistæ nuncupantur, & ideo ad Irreligionarios pertinent (§. 82.). Præterea, durum illud necessitatis jugum, nostris impositum actionibus, id sua natura efficit, ut prævæ inclinationes & peccaminosæ actiones sine pudore suscipiantur & committantur, quum se ad illas necessario duci, nec aliam determinationem suo arbitrio esse relictam prætendant cœcæ necessitatis patroni. Horum igitur commenta multiplici nomine ducunt ad corruptionem morum.

## §. 85.

*Sequitur ex his atheismus per se & necessario ducere ad corruptionem morum.* Nam in atheismo, negata Dei existentia, simul negatur omne Dei jus & dominium in res creatas (§. 123. n. 5. P. 1.), omnis idcirco necessitas moralis, ex jure Dei profecta, totaque ideo Legis Naturalis obligatio tollitur (§. 9.), nec nisi absoluta omnium actionum nostrarum introducitur necessitas (§. 123. n. 5. P. 1.). Ergo atheismus per se & necessario ducit ad corruptionem morum (§. 84.).

Præterea Legis Nat. finis est, gloriam Dei super omnia promovere. Media obtinendi hunc finem sunt nostræ actiones liberæ, qua-



quatenus perfectionibus Divinis conformantur: Nam summa totius Legis Nat. est; fac ut actiones tuæ sint perfectionibus Divinis conformes (§. 21.). Atheus autem negat Dei perfectiones (§. 123. P. 1.). Itaque nec finem Legis Nat., qui est gloriæ Divinæ manifestatio, nec hujus obtinendi media, quæ in actionum cum perfectionibus Divinis conformatione consistunt, admittit, sed his contraria statuit. Normam itaque actionum sequitur, Legi Nat. repugnantem. Sed quum Lex Naturæ, nemine, nisi atheo, negante, ducat ad bonos stabiliendos mores; sequitur normam, Legi Nat. contrariam, & ideo ipsum atheismum ducere ad corruptionem morum.

Ut vero hoc nostrum assertum clarius pateat, paucis videamus, quam actionum normam commendat atheismus. Demonstravimus in Part. Prænot. 1. §. 165. & seqq. internas atheismi causas esse metum, præjudicia, sensum, ambitionis, voluptatis, &c. Ex hoc impurissimo fonte alia actionum fluere nequit norma, quam quæ in pravis affectibus & sensuali comodo vel incommodo fundetur. Quare Tolandus in Adeisidæmon. p. 71. *Atheus nihil bonum & malum fatetur, sed respectu tantum habito ad bonos & malos usus, quibus res quæque inservit, prout scilicet homines gaudio afficit aut dolore, vel in quan-*  
E 5 *tum*

tum tædet & delectat. Hanc vivendi normam clarissimis verbis exprimit atheistarum princeps Spinoza, cujus in Tract. Theol. Polit. Cap. 16. p. 176. hæc pudenda sunt verba: *Ius naturale uniuscujusque hominis non sana ratione, sed cupiditate & potentia determinatur.* Et paucis interjectis: *Quicquid itaque unusquisque, qui sub solo naturæ imperio consideratur, sibi utile vel ductu sanæ rationis, vel ex affectuum impetu judicat, id summo naturæ jure appetere, & quacunque ratione, sive vi, sive dolo, sive precibus, sive quocunque demum modo facilius poterit, ipsi capere licet, & consequenter pro hoste habere eum, qui impedire vult quominus animum expleat suum.* Ex quibus sequitur, *jus & institutum naturæ, sub quo omnes nascuntur & maxima ex parte vivunt, nihil nisi quod animus cupit, & quod nemo potest prohibere, non contentiones, non odia, non iram, non dolos, nec absolute aliquid, quod appetitus suadet, avversari!* Est hæc egregia, scilicet, disciplina moralis, quæ ex atheisticis profluit principiis, non veram Nat. legem, sed effrenem libertatem juxta cupiditates & potentiam vivendi, inferens. Certo itaque est certius, atheismum non posse non, sua natura, ducere ad maximam morum corruptionem.



## §. 86.

*Superstitiosi non sunt irreligionarii directi, nec superstitio tantam morum corruptionem efficit, quantam excitat atheismus.* Nam superstitiosus etsi in eo maxime erret, quod rebus creatis & humanis Divinam quandam tribuat efficaciam (§. 106. P. 2.), & sic Divinæ providentiæ multum officiat (§. 103. P. 2.); DEUM tamen existere & colendum esse concedit (§. 96 P. 2.). ergo non omnem religionem jugulat (§. 75.), neque ideo inter irreligionarios directos est referendus (§. 81.).

Demonstravimus antea (§. 42.), eum esse inter custodiam legis Nat. & cultum Dei nexum, ut illa posita, hic sequatur, & hoc posito, illa ponatur. Quatenus ergo & quousque conceditur cultus Divinus, eatenus & eousque simul statuitur Legem Nat. esse custodiendam. Sed non omnem Dei cultum & religionem tollit superstitio (per demonstr.). Ergo superstitio non tendit ad totalem Legis Nat. eversionem, sed aliquam ejus partem relinquit salvam, & ideo non ad tantam morum corruptionem ducit, quantam excitat atheismus, omnem religionem, omnemque Legem Nat. evertens (§. 85.). Præterea atheus negat omnem Legis Nat. obligationem, nec aliam legem, quam

quam effrenem libertatem juxta pravas cupiditates & potentiam vivendi, agnoscit, & ideo maximam morum corruptionem excitat (§. cit.). Superstitiosus autem, licet providentiæ Divinæ multum officiat (§. 103. P. 2.), & in legem naturæ haud leviter impingat, quia tamen existentiam & attributa Dei concedit & veneratur (§. 96. P. 2.), non omne Dei jus in homines tollit, nec ideo omnem obligationem (§. 9.), totamque Nat. legem removet. Consequenter ejus dogmata non eo usque, quo athei, ad morum corruptionem tendunt.

## §. 87.

Quamvis ex modo demonstratis evidenter pateat, atheismum necessario ducere ad corruptionem morum, illumque esse superstitione longe pejorem; aliud tamen nobis persuadere conatur P. *Bailius*, qui ut in aliis punctis (vid. §. 140. P. 1.), ita etiam in hoc, rem atheorum desperatam atque deperditam restituere cupit. Ex instituto hoc agit in Tractat. Epistolari, quem vocat. *Pensées diverses sur les comètes*, ubi multis ostendere conatur, atheismum non necessario ducere ad corruptionem morum vid. §. 133. p. 393. nec tantum esse malum, quantum superstitio. Sed quam lubrica immo nulla sint, quæ pro hoc suo fo-



somnio adfert argumenta, paucis ostendam. *Experientia* inquit, *docet homines non vivere conformiter suis principiis.* Nam plurimi inter Christianos dantur, qui salutari, qua gaudent, cognitioni non conformem, sed potius contrariam agunt vitam, Itaque, quum ex principiorum præstantia ad bonos mores concludere non liceat, neque valebit conclusio à pessimo atheorum dogmate ad corruptos mores ducta; sed potius fatendum erit, quoniam homines possunt vivere contra sua principia, etiam atheos posse inveniri, qui vitam peragant honestam & principiis suis prorsus contrariam. R. 1.). Concedimus quosdam atheos speciem honestatis præ se ferre, veræ autem honestatis esse studiosos negamus: Nam quum præter utilitatem propriam, ex sensatione grata vel ingrata æstimatam, non agnoscant aliam morum regulam (vid. §. 85.), evidens est vitam eorum, externe moratam ex impurissimo profluere fonte, & ideo variis corruptam esse vitiis. 2.) Dolemus dari homines, qui sanæ religionis dictamina negligunt, & vitiis se immergunt. Sed unde hoc accidit? Certe ex eo, quod pravis suis cupiditatibus & inclinationibus se abripi patiantur, atque sic gratiæ Divinæ, eos ad pœnitentiam vocanti, resistent. Tantum itaque abest, ut hinc sequatur, posse aliquem honeste vivere, licet pravis obscœ-

nis-

nisque opinionibus animum habeat occupatum; ut potius inde fluat contrarium, omnes scilicet eos, qui pravis abripiuntur cupiditatibus inhonestam agere vitam. 3.). *Grapius in Theol. Rec. controvers. Cap. I. Qv. 7. p. 41.* hoc modo retorquet Bailii argumentum: *Poterit aliquis Christum pro vero Messia agnoscere, etiam pro suo Salvatore, & tamen ob pessimam vitam damnari. Ergone contra poterit quis salvus fieri, si Christum Messiam esse neget, & forte in speciem honeste & virtuosè vivat.* Nemo non intelligit, quam falsum hoc sit ratiocinium, & quam ineptum sit Bailii pro atheis argumentum.

2. Obj. *Quia in atheismo dati sunt martyres, dubitari nequit atheos concepisse ideam honestatis, quæ in eorum animum fortius agit, quam utilitas & sensuale commodum.* R. Hoc nihil probat aliud, quam quosdam atheos adeo in nequitia sua & constantia aucupio fuisse induratos, ut gravissima pœna vel ipsa mors, eos ab impietate movere non valuerit. Dantur scelestorum hominum exempla, qui potius vitam, quam suas cupiditates & scelera deserere volunt? An inde colligendum eos ob honesti ideam diem adire supremum? Minime.

3. Obj.) Comparatione inter atheum & superstitiosum instituta, ejus crimina extenua



nuare, hujus vero extollere conatur Bailius, putans superstitionem esse atheismo pejorem, quia, inquit, α.) *Respublica sine religione florere potest tantum representatione & executione poenarum & prämiorum civilium.* β.) *atheï, propria utilitati studentes, non possunt non socialiter cum aliis vivere.* γ.) *superstiosorum numerus multo amplior est atheorum turba, adeoque plus damni excitat.* δ.) *Superstitio totum animum occupat, haud quaquam reclamante conscientia, vel ejus stimulo urgente, quod contra in atheis fit.* ε.) *ad α.) Falsum est rempublicam sine religione florere posse. Nam sine religione & Dei agnitione veræ obligationi, quæ sine jure Dei superioris dari nequit, nullus relinquitur locus. quo fœdera & pacta, salutem reipublicæ procurantia, contineantur illæsa. Neque hoc obtinetur sola representatione poenarum & prämiorum civilium, nam tota, quæ pactis inest, obligatio resolvitur in obligationem Legis Naturalis, quæ non aliunde, quam ex jure Dei pendet. Atheus itaque credens jus Dei esse nullum, nullamque poenam Divinam, ubicunque videt se posse effugere poenam civilem, propria utilitate ductus, quæ haud raro cum publica Reipublicæ salute pugnat, ea sine formidine committit, quæ magis vel minus in perniciem reipublicæ tendant. Superstitiosus autem agno-*  
scit

scit Dei existentiam & ejus attributa concedit, & ideo obligationem Divinam non penitus evertit. vid. §. 86. Neque ergo Reipublica est adeo perniciosus ac atheus. Ad  $\beta$ .) Inde quod athei propriae utilitati studeant, non sequitur eos cum aliis socialiter vivere debere: Nam licet propria subditi utilitas debeat semper esse subordinata publico reipublicae commodo; haud raro tamen oriuntur casus, in quibus inter privatum & publicum commodum adest collisio. Atheus, propriae utilitati primario studens, eamque ut principale actionum suarum fundamentum agnoscens, non potest non in omni casu publicum commodum privato postponere, & ideo in casu collisionis socialem deferere utilitatem, ut suae utilitati, suisque cupiditatibus indulgeat. Ad  $\gamma$ .) Ex majori superstitiosorum & minori atheorum numero recte non colligitur, superstitionem esse atheismo pejorem: Nam potius inde sequitur, atheismum esse foedissimum & maximum malum, quum eum plerique detestantur. Neque a paucitate peccatorum de foeditate peccati judicari poterit, quum peccatores in Spiritum Sanctum sint rariores, & tamen ipsum peccatum est gravissimum, Ad  $\delta$ .) Quod superstitio totum animum occupet, non reclamante conscientia, atheismus vero conscientia reclamante,

Bay-



Baylio non favet, sed hypotheseos ejus absurditatem detegit, ostenditque atheismum esse peccatum contra conscientiam gravius peccato superstitiosi: Quis enim nescit, eum gravius peccare, qui contra conscientiam, quam qui non contra conscientiam, legem transgreditur? Vanis ergo immo nullis utitur Baylius praefidiis.

## §. 88.

Præter *Thomasium* in *Introd. ad Discipl. Mor. Cap. 3. §. 70.* etjam *Illustris Wolfius*, Baylio adsensum præbet, putans in *Eth. Germ. §. 21. atheismum atheo non tam esse causam inbonestæ vitæ, quam ignorantiam & errorem de bono & malo. Quare Part. 1. Phil. Pract. Univers. §. 245.* ita argumentatur: *Ipsa Lex Nat. ejusque obligatio ponitur, posita hominis rerumque essentia & natura, ex qua & Lex Nat. & ejus obligatio derivatur. Homini vero rerumque essentiam & naturam non negat atheus, etiamsi Deum impie insicietur, Ergo atheus Legem Nat. ejusque obligationem admittere potest. R. 1. Fingamus obligationem derivari ex hominis rerumque essentia & natura, sed naturam rerum absolute necessariam, & ab altiori principio independentem facit atheus (§. 123 P. 1.). Itaque per obligationem & jus naturæ aliud intelligere nequit, quam ordinem, secundum*

PARS III.

F

dum

dum quem unumquodque individuum est necessario determinatum ad existendum & operandum. Sed hæc lex non est lex sensu morali, verum Mechanico & Physico, quo modo dicimus pisces natura determinatos esse ad natandum, prout observat ipse Spinoza in Tract. Theol. Polit. Cap. 16. p. 175. 2.) Negamus obligationem Legis Nat. dependere ex hominis rerumque essentia & natura: Nam antea observavimus, obligationem sine idea superioris dari non posse. Nemo itaque obligationem ex essentia & natura hominis atque rerum derivet, nisi absurdissime statuere velit, hominis rerumque essentiam atque naturam esse Legislatorem & Legis Naturalis superiorem. Excipit Vir illustris; *veri nominis obligationem à jure superioris necessario non proficisci, sed absque superiori possibilem esse obligationem; Nam quando superior obligat, representatione poenarum & præmiorum, tanquam volitionis & nolitionis motivis utitur; sic quando natura, posita hominis rerumque essentia & natura, obligat, actionum intrinseca bonitate & malitia, tanquam motivis utitur. Tam illius ergo, quam hujus obligationis eadem in animam humanam est vis, eadem efficacia. Non itaque necessarium est, in obligationis natura statuenda, ad jus superioris provocare.* IX. 1.) Licet fatear omnem obligationem esse  
con-



connexionem motivorum cum actione, inde tamen non sequitur omnem motivorum cum actione nexum gignere veri nominis obligationem: Nam præter id, quod etiam in consilio jungantur motiva cum actione absque ulla veri nominis obligatione, certum est cum omni actione sive bona sive mala, jungi motiva, nihil enim sine motivis adpetimus vel averſamur. Si ergo omnis nexus motivorum cum actione obligationem efficeret, obligaremur ad quasvis actiones, quod maxime absurdum. 2.) Magna est differentia inter obligationem, quæ à jure superioris proficiscitur, & eam, quam naturalem appellat Wolfius: Nam illa cum imperio ita conjungit motiva cum actione, ut ipsa idea imperii sit principale motivum, quod efficit, ut homo, qui hujus imperii & juris, obligationisque inde pendentis, sibi est conscius, nolit velit, non possit non sentire suo arbitrio non amplius relictam esse actionum suarum determinationem. Obligatio autem, cujus ratio sufficiens in ipsa hominis rerumque essentia & natura, ab idea superioris prorsus abstrahendo, ponitur, cum imperio motiva cum actione non conjungit, caretque principali motivo, quod primario ad veri nominis obligationem requiritur. Haftenus ergo arbitrio hominum relinquit actionum determinationem, quatenus penes

nes ipsos est, an distinctas intellectus, an vero confusas sensuum & imaginationis, boni & mali sequi velint ideas. Neque dici potest distinctas boni & mali representationes appetitum & aversionem ita & tam confestim determinare, ut nulla inter factas in mente representationes & adplicationem activitatis ad actum, temporis quædam intercurrat mora, qua possit pro lubitu, illas vel adprobare vel respuere, vel alias, ex confusa cognitione ortas, in illorum substituere locum, & ad has, jam fortiores, se componere. Itaque merito quæri debet, quid faciat ut homo non proprio vivat arbitratu? Quid, ut homo distinctis, non autem confusis, flectatur representationibus? Utrumque sibi relictus & imperio superioris non necessitatus & facit, & facere potest. Fieri ergo nequit, ut veri nominis obligatio, abstrahendo à jure superioris, ponatur in connexionem motivorum cum actione, ex essentia & natura rerum unice derivandorum.

## §. 89.

*Epicuræismus* est opinio, qua affirmatur plenaria actionum indifferentia, ut illæ in se nec honestæ, nec turpes sint, & ideo negatur obligatio Divina, ad certas actiones committendas, alias vero omittendas. Qui hanc fovent opinionem *Epicuræi* dicuntur.

No-



Nomen accepit hic error ab Epicuro, Philosopho Graeco, cui hae perversa opinio tribui solet. Sed Epicurum defendit *Gassendus*. Nobis in presenti perinde est, an Epicurus huic errori fuerit addictus vel minus, sufficit eum communi consensu adpellari Epicuræismum. Neque credere licet hunc errorem à Philosophis esse fictum, omni enim ævo existisse homines, qui nihil ipsa natura, sua esse bonum & malum, justum & injustum; quæ vero ita vocantur, humanis legibus & statutis unice talia esse finxere, ostendit *Cudworthus* in Tract. de æterna & immutabili rei moralis natura Cap. I. Inter recentiores parum ab his dissentit *Hobbesius*, statuens nullas esse leges, nisi conditas, leges naturales, antequam revelatio eis accessit, vim legis non habuisse, mensuram juris esse utilitatem, in statu naturali constitutis, omnem actionem esse adiaphoram. vid. *Leviathanis* Cap. 29. & *Elem. de civ.* Cap. 12. §. 1.

§. 90.

Sequitur hinc I.) *Epicuræos existimare, homini licere actiones suas determinare ex proprio arbitrio, nisi quatenus lege civili prohibeantur.* Nam actionum turpitudinem & honestatem Lege Nat. determinatam negant, & ideo, quoad naturalem hominis statum plenariam affirmant actionum indifferentiam, tolluntque omnem obligationem Divinam (§. 89.). Hinc itaque aliud non sequitur, quam homini pro arbitrio relictum esse suas determinare actiones, nisi quatenus lege civili prohibeantur.

P 3

Su

Suprema itaque Epicuræorum est lex: *Quod libet licet.* Legem ergo civilem ut jugum, suæ libidini impositum, considerant, quod excutere volunt, & excutiunt data occasione, qua se lege non impediri sentiunt.

II.) *Epicuræos esse Irreligionarios.* Nam tollunt obligationem Divinam (§. 89.), qua sola legi Naturali sua constat integritas (per ante demonstr.). Ad Irreligionarios ergo recte referuntur (§. 84.).

Licet ob metum pœnæ civilis possint externo Dei cultui interesse, quia tamen animo excutere conantur omnem obligationem ad Deum interno motu colendum, cultum externum, quem Deo præstare coguntur, non esse genuinum, nec talem, qualem religio requirit, quivis facile intelligit.

### §. 91.

Perlustravimus hætenus Irreligionariorum, qui directi vocantur, pessima dogmata; paucis eorum recenseamus commenta, quos Indirectos adpellavi Irreligionarios, qui eis addicti sunt opinionibus, ex quibus sequitur religionis everfio (§. 81.). Infert religio eam inter Deum & homines relationem, qua hi ad Illum certo modo colendum obligantur. Eorum ergo, qui Indirecti vocantur Irreligionarii, tres constituo classes, *Primam* eorum facio, qui DEUM quidem non negant, nec totam Ejus providentiam inficiantur, ea tamen de attributis



tis Divinis & Ejus operibus foveant dogmata, ex quibus vera vel tollitur vel enervatur religio. *Secundam* eorum statuo, qui de homine, qua religionis est capax, pessime sentiunt. *Tertiam* eorum dico, qui circa ipsam religionis naturam turpiter errant.

## §. 92.

Ad primam classem spectant α.) *Qui vel omnipotentiam, vel omniscientiam, vel justitiam Dei vindicativam, vel providentiam specialem negant aut in dubium vocant.* Laudatorum enim Dei attributorum in cultu Divino legitime determinando, nec non in legis & obligationis fundamento, recte stabiliendo, maximam habere efficaciam, in sectione Thetica abunde demonstravimus. Providentia specialis est, qua Deus curam gerit singulorum hominum (§. 26. P. 2.). Qui itaque hanc negant, ad religionis everisionem planam & apertam parant viam (conf. §. 33. P. 2.). Facile ergo intelligimus eos, qui memorata Dei attributa, & providentiam specialem vel negant, vel in dubium vocant, religionem non relinquere salvam, & consequenter ad Irreligionarios indirectos recte referri.

Spectant huc 1.) *Sociniani*, qui variis commentis laudata Dei adgrediuntur attributa. 2.) *Chubbins*, qui in Opere posthumo. Vol. I. p. 125, negat Deum gere-

gerere curam hominum, sed omnia animæ & corporis bona, nec non bonam vel adversam fortunam, omnesque inclinationes & actus, ex concursu causarum naturalium in totum & tantum dependere. 3.) *Bolingbokus*, Chubbio adsensum præbet, prout in Præfatione ad Partem 2. ostendimus. Præterea, etsi existentiam, omnipotentiam & sapientiam Dei concedat Bolingbokus, negat tamen, & quod audacius est, ut humana figmenta, rejicit omnia attributa Dei moralia, bonitatem scilicet, justitiam, sanctitatem, misericordiam, veracitatem, &c. vid. Lelandi Epist. de Scriptis Deisticis. T. 2. p. 164. seqq. Immo obligationem ad religionem, nec nonstrarum actionum cum perfectionibus Divinis conformationem, ut absurdam garrit. vid. ibid. 69. & seqq. Nemo igitur non intelligit hunc adversarium proxime accedere ad Irreligionarios directos. 4.) *Humius*, qui, postquam rejecit argumentum ab effectu ad causam supremam, magnaque impudentia negavit, & consideratione naturæ ad intelligentiam supremam colligi posse. Vid. Leland. l. c. p. 6. seqq. 28. seqq. 32. seqq. Omni contamine justitiam Dei remunerativam & vindicativam adgreditur. p. 34. & seqq. & ideo ad Irreligionarios indirectos primæ classis jure refertur.

β.) *Qui non creationem, sed emanationem omnium rerum ex essentia Divina fingunt.* Nam ex hoc commento sequitur, animas humanas esse Divinitatis particulas (§. 184. n. 2. P. 1.). Itaque non modo cultus Divinus, minimum partialis, animæ humanæ esset tribuendus, sed etiam absurdum foret, ut homo Deum coleret, quia repugnatet Divini-



vinitatem unam religioso cultu prosequi debere alteram. Multiplici ergo nomine in religionem graviter impingit Emanationorum dogma, quod Parte Pranot. 1. sufficienter confutavimus.

7.) *Qui affirmant Deum agere omnia, creaturam nihil.* Nam est religio certus modus Deum colendi (§. 75.). Cultus vero consistit in præstatione actuum, quibus ostendimus nos Divini nominis gloriam intendere (§. 41.). Qui ergo affirmat Deum agere omnia, creaturam nihil, is simul statuet, creaturam nihil agere posse in Dei gloriam, sed solum Deum esse causam horum actuum, adeoque, quoad homines nullam dari religionem, illamque totam non esse nisi opus ipsius Dei, quo actus produceret in sui gloriam tendentes. Hi itaque religionem & morum curam omnem reddere conantur evanidam.

Hanc quorundam paganorum opinionem recoxit, præ ceteris, *Sebast. Francus*, in Paradoxis scribens: *Was einer thun will, das thut und will Gott in ihm, Gott muß sich in uns selbst bitten, fürchten, anbetten. Die creatur thut nichts, sondern wird gethan, wie Gott durch ein jedes thut, also thut es. Der vogel singt und fliegt nicht, sondern er wird gesungen. Gott ist es, der in ihm singt.* vid. *Læsceri Pranot. Theol. p. 100.* Huc etiam spectat secta Al-Jahamianorum apud Turcas, defendens hominem non posse rem

aliquam facere, neque attribui ipsi debere, quod potentia præditus sit, sed illum coactum producere opera sua, cum non sit ipsi potentia, nec voluntas, nec electio, creare autem Deum in ipso actiones. Vid Brückeri Hist. Phil. Crit. T. III. p. 145. Neque ab hac opinione desectunt Occasionalistæ, qui, cum duce suo præcipuo Malebranchio, adimunt creaturis omnem causâlitatem, eas non nisi occasionales considerantes: Deum vero unicam in creaturis agendi causam somniant.

J.) Qui credunt nos nullas habere Dei & rerum Divinarum veras notiones, non posse hominem scire quid velit Deus, quoad Deum non dari peccatum; Deum hominum actibus non delectari nec offendi, & quæ sunt id genus alia portenta. Est enim religio certus modus Deum colendi (§. 75.), & cultus Dei continet actiones, quarum motiva sunt perfectiones Divinæ (§. 41.); si ergo nullas haberemus veras Dei & rerum Divinarum notiones, neque ulla darentur ad verum Dei cultum motiva. Cessaret itaque omnis religio vera, omnisque ad illam obligatio. Conf. §. 80.

Est religio voluntati Divinæ conformanda (§. 79.), si ergo homo scire non posset, quid velit Deus, neque nosset, an aliqua religione, & qua Deus esset colendus. Itaque religio, vel minimum, omnis de ea certitudo tolleretur.

Fin-



Fingamus quoad Deum nullum dari peccatum, neque ergo esset peccatum abstinere ab omni Dei cultu & religione; atque sic prona esset ad omnis religionis everfionem via. Neque aliud sequitur, si Deus hominum actibus non delectaretur, nec offenderetur, nam tunc actus hominum, quoad Deum, neque essent boni, nec mali.

## §. 93.

*Ad secundam eorum classem, quos Irreligionarios Indirectos vocavi (§. 91.), referuntur omnes ii, qui quidem non religionem ipsam tollere volunt, negant tamen animæ simplicitatem & libertatem.* Nam si anima esset materialis, nulla daretur lex, nisi pure mechanica, nec ulla obligatio, quæ est necessitas moralis (§. 9.), sed mera regnaret necessitas physica. Per hanc igitur hypothesin tollitur obligatio Legis Nat. cum qua connexa est obligatio ad religionem (§. 80.). Tollit itaque dicta hypothesis ipsam religionem.

Si anima esset mortalis & intra limites huius seculi terminaretur ejus vita, metus poenarum post hanc vitam, quem Revelata religio tantopere urget, extirparetur, & felicitatis spes post fata, religionis quippe Palladium, interverteretur. Et quæ quæ-  
so

so foret religio, posita animarum mortalitate? Creavit Deus hominem ob gloriæ suæ manifestationem (§. 112. P. 1.), ad quam, super omnia, promovendam perfecte obligatur homo (§. 53.). Implicat autem, Sapientissimum Numen, gloriæ suæ manifestandæ, quam perpetuo & constanter intendit, destinasse eum, qui intra breve tempus periret, nec perpetuo existeret, iis instructus donis, intelligendi scil. & volendi, quibus gloria Dei super omnia promoveatur. Animarum ergo perpetuam vitam poscit gloriæ Divinæ manifestatio, quæ est fundamentum cultus Divini (§. 41.), & ideo religionis (§. 75.). Igitur, ob arctissimum hunc inter immortalitatem mentis & religionem nexum, liquet ex negata immortalitate mentis fluere negationem religionis.

Idem pessimæ notæ confectarium infert libertatis animæ negatio. Est animæ libertas potentia activa ad unum ex pluribus, sui respectu possibilibus, distincte representatis, sponte se determinandi (§. 657. Psych. Emp.). Conficitur hinc indifferentiam exercitii, qua potest anima nostra agere & non agere, agere hoc & aliud, esse necessarium libertatis requisitum (§. 655. Psych. Emp.). Sublata itaque libertate tollitur hæc indifferentia, una cum ejus distin-



distincta cognitione. Consequenter vel absoluta vel Physica naturæ suæ necessitate ita ad unicum agendum restringeretur anima, ut plane exularet omnis necessitas moralis in agendo, quæ necessitati absolutæ & Physicæ opposita, relationem habet ad rectitudinem actionum, quæ non recte, & ideo aliter & aliter, institutæ esse possunt. Itaque quum obligatio sit necessitas moralis (§. 9.), evidens est per negationem libertatis tolli obligationem ad religionem (§. 80.). Pari ratione, ex negata libertate sequi vidimus, negationem distinctæ cognitionis agendorum; Nullas itaque, sub hac hypothese, haberet mens distinctas ideas perfectionum Divinarum, suarumque actionum ad illas conformandarum. Cultum vero Divinum distinctas ejusmodi postulare ideas ex toto capite 2. sectionis Theticæ intelligitur. Igitur quantum etiam hinc in religionem profuat damni facile patet.

Mihi non est ignotum, quod in sequentibus monstrabitur, dari directos Irreligionarios, qui ex negatione simplicitatis & immortalitatis animæ omnem religionem evertere laborant; hoc autem loco illas notare volui, qui eo non progrediuntur impietatis, nec ideo animum habent religionem negandi; quia tamen talia tradunt dogmata, ex quibus religionis everasio sequitur, & quæ cum directis Irreligionariis habent communia, ad indirectos summo jure referuntur. Præcipue huc spectat *Boling-*  
*bro-*

*brokus* ante citatus, qui inter alia commenta, ad religionis eversionem tendentia, etiam negat animarum immortalitatem, eamque nostræ cognitioni inimicam clamat.

## §. 94.

Succedit *tertia* irreligionariorum indirectorum classis, circa ipsam religionis naturam turpiter errans. Huc referuntur.

I.) *Qui religionem rem mediam, quæ bona vel mala esse possit, somniant.* Nam si hoc verum esset, quum ad id, quod neque bonum, neque malum, sed indifferens est, nulla dari queat obligatio, inde sequeretur, ad religionem non obligari homines.

II.) *Qui cultum Dei externum, tanquam inutilem & non præceptum rejiciunt.* Nam ad cultum externum, tanquam partem cultus Divini, ideo obligamur, quia alios perducere debemus ad DEUM celebrandum & maximi faciendum, & quia, sine cultu externo, non constaret interne sua integritas (§. 74.). Qui ergo cultum Dei externum, ut inutilem & non præceptum rejiciunt, religionem parte necessaria mutilam reddunt, alios non modo non excitant ad Deum religiose colendum, sed etiam exemplum & occasionem, eis religionem contemnendi præbent, immo ipsi significant suum animum, ad Deum interne colendum  
non



non esse sincerum, & religioni, uti debet, addictum. Multis ergo modis ad religionis everfionem tendunt, & ideo jure inter indirectos irreligionarios numerantur (§. 81.).

III.). *Qui in solo cultu Dei externo acquiescunt, omnemque salutis spem in eo collocant, de interno, seu, animo à vitiorum sordibus per veram pœnitentiam purgando, parum solliciti, quorum religio adpellari solet superficialia.* Hi in alterum incidunt extremum, veræ religioni inimicum. Ex demonstratione, quæ cultus externi probavimus necessitatem (§. 74.), abunde patet, cultum externum ab interno non esse separandum, sed illum esse debere hujus confectarium. Absonum enim est colere Deum sine justa mentis intentione (§. 41.). Itaque in religione superficialia abest necessaria & fundamentalis religionis pars, sine qua omnis evanescit religio.

IV.). *Qui in religione hac superficialia eo progrediuntur, ut in ritibus quibusdam & ceremoniis, sine mandato Divino & absque omni reali fundamento institutis, & tantum ex ingenio humano excogitalis, si non omnem religionem præcipuam tamen ejus partem consistere credunt.* Horum religio vocatur Apostolo Coll. 2:23. *ἡ θελοῦμενος*, cujus sensum recte exprimit Svecus interpret: *sielstagen andelighet.*

*het.* Nam cultum voluntarium & spontaneum; qui humanis præceptis & institutis innititur, Apostolum hoc loco reprehendere & damnare patet tum ex ipso contextu, tum præcipue ex versu 22. Tendere hanc *ἡ θελοθρησκείαν* ad veram religionis everisionem, tum inde elucet, quod illa sub superfliciaria religione contineatur, & ulterior ejus sit gradus, tum etiam ex eo fundamento, quod actionibus & institutis humanis divinam vim & efficaciam expiandi peccata adscribat, eoque ad superstitionem referatur (§. 102. P. 2.), veram religioni maxime inimicam.

Hoc vitio, ut veteres taceam Hæreticos, maxime laborant Pontificii, qui suis processionibus solemnibus; aqua lustrali; horis canonicis; unctione extrema; vestimentorum, quorum in sacris usus est, generibus variis; peregrinationibus; cruciatibus corporis; precum, plerumque non intellectarum, & in summis labiis natarum, battologiis, rosariis, ad quorum ductum, etiam dum amoribus operantur, dum mentiuntur, aliosque traducunt, aliquid de murmurant; & aliis ejusmodi, numero fere infinitis, in quibus magnum mysterium, & præcipuam cultus Divini partem collocant. Cum Pontificiis, maximam partem, in his punctis consentiunt Muscovitæ, potissimam cultus Divini portionem in recitandis & frequentandis missis, processionibus instituendis, & aliis ejusmodi ritibus, humano ingenio excogitatis, ponentes, vid. Bergii Tract. de Religione Muscovitarum cap. XII. & seqq.

CAP.



## CAP. II.

IN QUO  
CONFUTANTUR IRRELIGIONARII  
DIRECTI.

## §. 95.

**Q**uamvis omnia ea, quibus Divinae majestatis existentiam, & providam rerum creaturarum curam hostiliter adgredi non verentur impiissimi homines, etiam tendant ad religionis everfionem, quia tamen illorum confutationem in Partibus Pranot. 1. & 2. proposuimus, hoc loco ea tantum repellere & frangere conabimur tela, quæ in ipsam religionem ejaculant impij hostes.

## §. 96.

Horum fere omnium suprema est vox : *Religionem non esse nisi inventum hominum calidorum, ut post constitutas civitates subditi in majori & certiori obsequio erga suos imperantes & principes contineantur.* Maxima huic impietati speciem veri conciliaturi, ita ratiocinantur. *Jus naturæ ex essentia & naturæ hominis ac rerum determinatur; sed ad essentiam & naturam hominis, teste experientia, pertinet non modo sana ratio, sed & quam maxime cupiditates & potentia, quibus rationis exercitium in infanti & puerili ætate plene, & per reliquam ætatem plerumque subesse experimur. Itaque jus Nat. unius cujusque hominis non sana ratio*

PARS III.

G

ne,

ne, sed cupiditate & potentia determinatur. Consequenter in statu naturali peccatum concipere non licet, nec Deum, tanquam judicem, homines propter peccata punientem, sed omnia secundum leges communes ferri, nec ullum locum justitiæ & charitati esse, ideoque nec religioni. Huic igitur nulla relinquitur statio, nullum fundamentum, nisi unusquisque juri suo Naturali cedat, & in societatem civilem cum aliis coeat. Omnis ergo religio aliunde dependere nequit, quam ex solo eorum decreto, quibus jus in civitate imperandi est translatum. Atque sic patet religionem non esse, nisi inventum Principum & Politicorum, qui promittendo id, quod vulgus maxime amat, & minitendo id, quod maxime timet, religionem in firmissimum societatis civilis vinculum formavere.

Hoc argumento contra omnem religionem insurgit Spinoza in Tract. Theol. Polit. Cap. 19. p. 215. & seqq. fingens, religionem vim juris accipere ex solo eorum decreto, qui jus imperandi habent, & horret animus, Deum nullum singulare regnum in homines habere, nisi per eos, qui imperium tenent. Ut majorem prodat impietatem, dicit, se nullam heic excipere religionem, siue lumine naturali nota, siue revelatione nobis communicata dicatur. Atque ideo simul addit pag. 217. Sibi evidentissimum esse, religionem apud Hebræos vim juris à solo imperii jure accepisse, & eo destructo non amplius viguisse, quia Moses nullo eas supplicio adficere potuit, qui ante pactum, & qui consequenter sui adhuc juris erant, sabbatum violaverunt Exod. 15: 30. Sed post pactum. Num. 15: 36. per quod sabbatum vim mandati accepit, punire potuit



potuit sabbati violatores; quia etiam Judei in captivitate Babylonica, proprio amplius non utebantur regimine, sed politiae Babyloniorum se subicere cogebantur, & ideo debuerunt, juxta monitum Jeremie cap. 29:7. Consulite paci civitatis, ad quam vos captivos duxi, nam ipsius incolumitate vobis erit incolumitas, religionem & statuta Babyloniorum observare. En! diabolicum artificium, quo Scriptura Sacra, in præjudicium religionis trahitur.

In hoc extremæ impietatis ardore Spinozæ non cedit recentissimæ rabula *De la Mettrie*, qui in Discursu Prælim. ad opera Phil. p. 5. magis pro imperio jubere, quam rationibus pugnare studet, religionem esse inventum Politicum, quam ad iudicium & ferum populum compescendum, & suum imperium stabiliendum, in subsidium vocaverint sapientiores, qui digni essent, ut aliis imperarent.

### §. 97.

Proponunt hoc argumento impij crambem, sapius coctam & recoctam, quam multi & doctissimi viri ita extenuarunt, ut in fumum tota abierit. Nos quoque Part. I. §. 150. & seqq. demonstravimus extremam atheorum in hoc repetendo argumento stultitiam. Itaque in respondendo nunc erimus pauciores. I.) Desideramus, ut in memoriam revocentur ea, quæ §. 88, de fundamento legis & obligationis disseruimus, & ostendimus in essentia & natura hominis & rerum, jus & obligationem non

fundari, sed ex altiori principio esse repetendam. Præterea fingamus cum Spinoza omne jus nat. non aliunde esse deducendum, quam ex nostra & rerum natura: est autem hæc valde corrupta & cupiditatibus immersa, ut impostor ipse fatetur. Ergo inde sequeretur nullam aliam dari legem, quam ex nostris determinatam cupiditatibus: sed hoc modo, ut idem concedit, evanesceret omnis justitia & obligatio naturalis: omnia itaque pacta & conventa essent irrita & vana, nam per hypothesein nulla daretur justitia naturalis, obligans ad illa servanda, atque sic nihil plane impediret, quo minus posset quilibet paciscens, data occasione, pro arbitrio rescindere pactum cum aliis initum. Jam vero nemo nescit pacto in societatem civilem conjungi homines, sive illud ex metu, sive aliunde derivare velis, est mihi in presenti perinde. Major ergo justitia & obligatio ex societate civili determinari & proficisci nequit, quam quæ ipsi pacto insit. Sed ex hypothesei adversarii sequitur, pacto, quo consociantur plures homines, nullam competere justitiam, nullamque obligationem (per Demonstr.). Neque ergo ex societate civili determinabitur justitia & obligatio, stabilis nempe & firma, & mero hominum arbitrio, quod variæ mutationi est

ob-



obnoxium, non pendens. Habet igitur Spinoza conclusionem, ex suis principiis deductam, sed suæ conclusioni contrariam. Quam igitur impossibile est, ut ex veris principiis contrariæ fluant conclusiones, tam evidenter quilibet intelligit, falsissima esse, quibus utitur opponens, principia, & ideo vanam & irritam esse totam ejus operam.

2.) Si Religio ex societatis civilis vinculo penderet, essetque Politicorum figmentum, ex hominum arbitrio tota derivaretur absque ullo reali sui ipsius fundamento, nam putant adversarii eam in se esse nullam. Constans docet omnium temporum Historia, nullam unquam repertam esse gentem, nec etiamnum reperiri sine omni religione. Sed quis credat sibi que persvadeat omnes gentes consentire potuisse in eo inveniendo, quod omni caret fundamento? Idem esset, per hypothesin, omnium populorum in hoc puncto arbitrium, & eadem ejus determinatio, sed, simul, nihil daretur reale determinans. En! manifestam contradictionem.

3.) Adversarii nostri licet omnium sint stupidissimi, concedunt tamen religionem esse validissimum societatis civilis firmandæ & conservandæ vinculum, optimumque remedium refrenandi homines, ne in omne nefas ruant, & seipsos perdant, concedunt,

inquam, atque sic se ipsos jugulant: Nam quis sanæ mentis sibi persvadeat rem tam bonam, & toti humano generi tam salutarem, esse figmentum & merum mendacium? Potius ex concessis ita argumentamur: Quodcumque vere & realiter facit ad conservandum totum humanum genus, & ad impediendam omnem malitiam, nec ullus unquam contrarium est expertus vel demonstrare potuit, id fictitium esse nequit: At religio eam habet efficaciam, vel ipsis consentientibus adversariis. Ergo non est fictitia.

Quamvis itaque ex his pateat, absurdissimum esse Spinozæ commentum, quo fingit Deum, nullum singulare regnum in homines habere, nisi per eos, qui imperium teneant; quia tamen in suæ impietatis robur non veretur ad Scripturam S. provocare, restat ut breviter ad hanc respondeamus instantiam. Inde, quod Moses ante responsum, à Deo acceptum, de definita in Sabbati violatores pœna, non potuerit eos punire, tantum abest, ut Sabbatum ex jure imperii humani vim mandati acciperet, ut potius sequatur contrarium: Quicumque enim alium punire nequit sine expresso alterius mandato, is non est sui juris, sed alterum, ut suum superiorem, agnoscere debet: At Moses cum Israëlitis in Sabbati violatorem, sine expresso Dei mandato, pœnam definire non potuerunt. Num. 15: 34. Ergo Moses & Israëlita agnoverunt Deum, ut suum Regem. Neque heic ullum præcessit pactum, quo Israëlita jus imperii in Moysen transferrent, nam sæpius illis murmurantibus demonstravit Moses, non



non se, sed solum Deum esse eorum Regem, nec ideo sibi, sed Deo tantum, jus imperii in eos competere. Ergo Spinozæ assertio, tota quanta, est falsissima. Neque contrarium elicere potest impostor excitato Jeremiæ loco, quo jubet Deus, ut quaerent Israëlita prosperitatem civitatis Babylonice, nam in eodem versiculo statim addit sacer scriptor, *eos debere orare Jehovam pro civitate.* Sed hoc in sua citatione omisit Spinoza, eadem arte utens ac Diabolus, dum ad Scripturam provocat. Deus itaque non iussit, ut Israëlita alia ratione civitatis Babylonice incolumitatem & salutem quaerent, quam ut simul veram religionem retinerent.

## §. 98.

II. Obj. *Dei omnia decreta eternam veritatem & necessitatem involvant.* Concipi ergo nequit, Deum, tanquam Principem & Legislatorem aliquas leges hominibus ferre. Quapropter religionis statuta, sive lumine naturali sive Prophetico revelata dicantur, vim mandati à Deo immediate non accipiunt, sed necessario ab iis, qui jus imperandi & decernendi habent. Quod ipsa etiam experientia comprobatur, nam nulla justitiæ Divinæ vestigia reperiuntur, nisi ubi justii regnant, alias eundem casum justo ac injusto, puro ac impuro contingere videmus. Quum itaque tam experientia, quam ratione constet, jus Divinum à solo decreto summarum potestatum pendere, sequitur etiam eas ejus esse interpretes, totamque religionem esse politicum aliquod inventum.

Etiam hujus objectionis auctor est Spinoza, qui in Famossissimo Tract. Theol. Polit. cap. 19. pag. 217. 218. altero hoc ratiocinio evertere conatur omnem religionem.

## §. 99.

Bipartitum est hoc argumentum, cujus prius membrum derivat impostor ex decretorum Dei aternitate & necessitate, alterum ex experientia firmum facere cupit. Quod ad prius, largimur decretorum Dei aternitatem & immutabilitatem, sed eorum à Spinoza assertam absolutam necessitatem negamus: Continent enim rationem existentiae omnium rerum (§. 86. P. 1.). Si ergo essent absolute necessaria, etiam absoluta necessitate existeret mundus, quod per demonstrata (§. 43. P. 1.) est absurdum. Putat quidem Spinoza Cap. 6. p. 68. cit Tr. decreta Dei ideo esse necessaria; quia voluntas cum intellectu Ejus realiter coincidit, sed hanc instantiam antea confutavimus (§. 87. P. 2.). Tantum ergo abest, ut repugnet concipere Deum, tanquam Principem & Legislatorem, ut potiori jure statuamus, Deum non posse esse Deum, nisi sit Princeps & Legislator, actuque ipso aliquas leges hominibus tulerit: Id enim ex antea demonstratis (§. 4. 12. 18.) evidenter patet. Concidit ergo & dissipatur prius impiae objectionis membrum.

## §. 100.

Deferimur ad posterius argumenti membrum, quo affirmat opponens impiissimus,  
nul-



nulla reperiri justitiæ Divinæ vestigia nisi per Magistratum Politicum, alias eundem casum justo ac injusto accidere. Sed totam hanc instantiam falsissimam esse (§. 58. & seqq. P. 2.) demonstravimus. Præterea quum civitates inter se vivant in statu naturali, prout id demonstrant Moralistæ, nec ideo magistratum communem in his terris agnoscant, merito quaritur, unde originem trahant extantissima justitiæ Divinæ inter gentes specimina? An iterum ex magistratu civili? Sed talem non habent gentes inter se. Forte ergo nulla ejusmodi reperiuntur specimina? Hoc autem affirmare nequis, nisi simul prodas supinam in Historicis ignorantiam. Provoco liberius ad Historiam V. T:ti, in qua Spinozam esse exercitatum scio. Testatur Historia Sacra internecioni datas esse gentes Cananæas, tempore Josuæ, ob earum gravissima peccata. Est hoc justitiæ Divinæ excellentissimum specimen, quod per Israëlitas perfecit quidem Deus; inde tamen non sequitur illis, sine mandato Divino competitivisse jus puniendi delicta gentis Cananææ: Nam uni civitati nullum est jus in alteram. Habes ergo heic exemplum justitiæ Divinæ, ab imperantium jure non pendens. Eandem conclusionem deducimus ex aliis plurimis, quæ in Sacro Codice leguntur, exemplis. Nec desunt

G 5

in

in profana Historia ejusdem rei specimina luculentissima, quæ brevitatis ergo heic reticemus.

## §. 101.

III. Obj. Fatentur religionis defensores inter illam & doctrinam de immaterialitate & immortalitate animæ humanæ arctissimum esse nexum, ita, ut hac sublata, omnis corruat religio. Sed doctrina de simplicitate & immortalitate mentis est puerilis, & nihil nisi inania continet verba, spumæ instar & longinqua emissa in ripas maris Theologici; quum tamen omnis experientia, cui soli, non rationi, non revelationi, & Theologorum Scripturæ Sacræ explicationi, utpote sibi ipsi contradicenti, in hoc puncto est credendum, contrarium evincat & in pulverem redigat hoc dogma, non fundatum nisi in prætensa utilitate morali & religionis, qualis quidem esse poterit, ideoque se ipsum destruens, quum inde religionem iterum probari posse credant ejus defensores. Ea est hominum natura, ut facile credant, quod eorum saveat desiderio. Theologi itaque & nostri in templis vani declamatores facile persuadere poterunt hominibus, eos præstantia vincere reliqua animalia. Atque hinc originem traxit dogma illud, quo creditur frustum ligni organisati esse immortale. Moram ergo nobis non injiciant arma puerilia Theologica & Metaphysica, nec non ideæ illæ vagæ ac triviales de duabus substantiis in se invicem agentibus & reagentibus, quas præjudicium & superstitio in orbe conservant. Religio ergo non est nisi politicorum figmentum.

Hujus argumenti, quod non judicio, sed impietate & malitia, vincit omnia, quæ contra religionem sunt



sunt prolata, auctor est famosissimus iste *De la Mettrie*, qui anno 1748, suppresso nomine editit tractatum, Gallico sermone scriptum: *L'homme-Machine*. Deinde anno 1752, subtrac-to velo, nomen suum significavit, in limine libelli, cui titulus: *Discours préliminaire*. In his & aliis scriptis id præcipue agere voluit, per quod omnis everteretur religio, hominesque ejusdem classis cum animantibus brutis constituerentur. In priori illo hujus impostoris tractatu confutando egregiam collocavit operam *Baltas. Ludovicus Tralles*, Medicus Uratislaviensis, in Commentatione de machina & anima humana, prorsus à se invicem distinctis. Laudanda est doctissimi viri industria, quod è Medicorum ordine confutare voluit impiissimum Medicum *de la Mettrie*, qui inter alia tantum habet vesanie, ut ad finem libelli dicat, se non alium contra se disputatorem esse admissurum, quam Anatomicum & in Philosophia corporis humani versatum, omnibus Theologis & Metaphysicis procul abesse iussis, contra quos, præter scommata, alia non habet argumenta; stygio enim ore Theologos, superba animalia, terribiles creaturas, declamatores scurriles, qui templa suo clamore impleant, clamat, aliisque ejusmodi distectis & asperis facetiis religionem & Theologos larga manu onerat. Sepultus non ita pridem est *de la Mettrie*, sed reliquit impiissima scripta, Gallico, si ita loqui liceat, jusculeo superbientia, quibus hodierni scioli, vulgo: *Petits maitres*, maxime delectantur. Ne itaque tota nostra religio hoc veneno corrumpatur, conabimur, per Dei gratiam, absurdissimam hujus viri impietatem ita denu-dare, ut nullus ab hoc impostore decipiatur, & dudum decepti in rectam convertantur viam.

§. 102.

Extremam itaque hanc explosuri impietatem, primum observamus, non esse novum & ab hoc auctore inventum, quo contra religionem pugnat, argumentum, sed fatis antiquum, & à doctis viris saepe confutatum, ab hoc autem cavillatore, sine ullo ad solidas aliorum responsiones respectu, recoctum, nec nisi audacia vere diabolica, & aculeatis verbis auctum. Dextre ergo imitatus est aniculas, quæ non rationibus, sed irrisionibus & ignominiosis verbis sibi contradicentes adgrediuntur. Hoc modo, ostensurus animam esse mortalem, blaterat doctrinam de immortalitate mentis esse puerilem, nec continere nisi vocabula, mente cassa, esse spumam: En! egregiam scilicet argumentationem, cui opponamus simillimam: dogma de religionis everfione & mortalitate animæ non tam est puerile, quam potius bestiale, plenum vocabulis, nihil significantibus, nec continet nisi spumam in ripas maris atheistici emissam. Ergo omnium absurdissimus est De la Mettrie, qui eodem & longe potiori jure contentus esse debet hac responsione, ac pro imperio jubeat, nos aquiescere in ejus verbis. Pergit Calumniator in proferendo alio ejusdem dignitatis argumento: Dicit in hoc puncto non audiendam esse Revelationem



lationem, non Theologorum Scripturæ Sacrae explicationem, utpote sibi contradicentem, non rationem, sed solam experientiam. Sciat autem Theologos non modo ex voce: *Spiritus*, qua Scriptura utitur, de anima agens, sed etiam ex apertis ejus testimoniis ostendere animæ immortalitatem. Nam ipse Salvator sanctissimus Matth. 10: 28. demonstrat animam à nemine posse occidi; si vero in organismo corporis confisteret, ut putat adversarius, occidi & perire posset anima, quod etiam sapius in suis scriptis affirmat. Videt ergo suam hypothesein Scripturæ Sacrae aperte repugnare. Immo adversus opponentem ostendit Regum sapientissimus Eccl. 12: 7. Spiritum reverti debere ad Deum, Qui dedit eum, adeoque, post separationem a corpore existere & vivere debere. Neque huic sententiæ officit locus Eccl. 3: 18-20. Verba enim Salomonis: *hominibus & bestiis idem est eventus; horum unumquodque it in locum eundem, unum quodque est ex pulvere & in pulverem redibit*, ratione corporis esse intelligenda, res ipsa loquitur, nam, quoad illud, ex pulvere est & hominum & bestiarum corpus, & in pulverem redigitur utrumque. Sed versu 20 hominis, præ brutis, indicaturus præstantiam, dicit: *quis cognoscit vel satis considerat spiritum hominis,*  
qui

qui ascendit sursum, & spiritum bestiarum, qui descendit infra terram. Conf. Carpovii Theol. Revel. T. 1. §. 177. Idem ergo heic affirmat Salomo, quod in cap. 12 : 7. statuit. Injurius itaque est opponens in *Sacr. Script.*, quasi illa immortalitatem animæ claris verbis non describeret; injurius quoque in Theologos, quasi illi in hoc puncto sibi contradicerent. Debuisset eos citare, si potuisset, hoc autem omisit, ut nostræ ætatis sciolis magis persuaderet, verum esse, quod ponit. En! elegantem, scilicet, boni viri characterem. Porro, ut tutius nugari ipsi liceret, contendit removendum esse omne rationis auxilium, & solam audiendam experientiam. Hoc vero præceptum, pro arbitrio à se formatum, ipse quasi omnibus solutus legibus, non observat, nam, ut sequentia indicabunt, ex Medicis & Physicis experientiis, circa corpus humanum institutis, colligere vult animæ mortalitatem. Rationem ergo cum experientia, infelicissimo licet successu, conjungere studet. Alia non usi sunt methodo genuini Philosophi, quas tamen damnat, animæ immaterialitatem ostensuri. Experientiam enim, non tam Externam, ut de la Mettrie, sed præcipue internam fundamenti loco posuerunt, indeque, juxta ratiociniorum serie intulerunt animæ sim-



simplicitatem. Irrisorem nostrum ad hæc argumenta nec attendisse, nec attendere voluisse, inde colligimus, quod alto supercilio, Cartesii, Leibnitii, Wolfii, aliorumque Philosophorum profundas meditationes, ut inutiles rejiciat (vid. *L' homme Machine* p. 8.), cur autem? non determinat nisi hoc unum pag. 9. *quod videndum sit, non quod cogitatum est, sed quod cogitare debemus NB. in requiem vitæ nostræ.* Qualem vero significat? Animo consternas, cohorescit totum corpus, dum eam, quæ in pag. 69. legitur, eloqui cogor: *Felicissimus foret mundus, si totus esset atheus; tunc enim cessaturam religionem, nulla gerenda fore a militibus terribilibus bella Theologica, naturam, sacro veneno infectam, puriorem evasuram, & mortales secuturos instinctus spontaneos naturales, qui ducant ad virtutem & felicitatem. Hæc est lex naturalis, hanc sequens est vir bonus, sine hac religiosi speciem affectans est hypocrita & impostor, probitas autem nullam revelationem, nullam religionem, quæcunque illa sit, supponit.* En! impietatem longe maximam. En! sermonem vere diabolicum, secundum quem ergo, ut sequar argumentum hujus irrisoris, ita obturandus & occæcandus esset animus, ut ad aliorum profundas & solidas meditationes de Deo, religione & animæ immortalitate, non attendat,

dat, ne turbetur requies animæ, per atheismum obtinenda. Quis unquam vidit, aut audivit, argumentationem magis impiam magis absurdam, & in regulas Logicales magis impingentem? Quam vero misera sit atheorum imaginaria felicitas & quam stulti sint, etjam in eo, quod denegent nostris, pro Dei existentia, & religione, argumentis attentionem, demonstravi Parte Præn. I. §. 38. seqq.

§. 103.

Pergimus ad tertiam, quam in religionem evomit maximus impostor, calumniam, qua garrit, *dogma de immortalitate mentis non fundari nisi in prætensa utilitate morali, & religionis, qualis quidem esse poterit, indeque ergo non sine petitione principii religionem iterum probari.* Argumentandi modum, quo incepit, sine pudore continuat hominum audacissimus de la Mettrie: multa dicit, nihil probat: Nam etsi largimur, doctrinam de immortalitate mentis in religionis & morum negotio utilitatem habere non qualemcunque, ut opponenis blaterat, sed longe maximam; inde tamen non sequitur, illius veritatem in hoc usu unice fundari, doctosque viros illam ex hoc demonstrasse: Nam contrarium evincunt Illustrum Virorum Leibnitii atque Wolfii scripta, quæ



quæ rejicit opponens. Nos etiam, post alios clarissimos viros, doctrinam de mentis immortalitate invictis, ut credo rationibus, in Psychologia nostra rationali demonstravimus, & ab adversariorum objectionibus vindicavimus. Atque in hac re ostendenda neque nos neque ceteri laudati viri, ulla demonstrationis principia ex consideratione morum & religionis, sed ex indole ipsius mentis, sufficienter evicta, desumimus. Grave ergo committit irrisor noster mendacium, dum ponit dogma de immortalitate mentis non fundari, nisi in prætenſa utilitate morali & religionis.

## §. 104.

Ex his simul intelligitur, mentiri religionis hostem, dum dicere non erubescit, dogma de immortalitate mentis ex vanis Theologorum persuasionibus originem traxisse. Sciat nullum Theologorum, nullumque Philosophorum, qui animam nostram immortalem tuentur, tam crassum & stupidum unquam esse, ut credat *frustum ligni organisati, ipsumque corpus organicum esse immortale*, sed singulos claris & perspicuis demonstrare argumentis, existere in nobis substantiam simplicem & spirituales, à corpore organico prorsus distinctam, cui vera competit immortalitas. Clamitat quidem

PARS III.

H

dem

dem impostor ideas de his duabus substantiis esse vagas & triviales, Theologorum Philosophorumque argumenta, quæ illas confirmant, esse puerilia: sed quem admodum posterius nullibi probavit, & ne verbo quidem illa argumenta examinavit; ita nec ad prius inferendum valere, quas allegat, rationes, easque in hac controversia non modo esse pueriles, sed potius nullas, ordine & per partes eundo demonstrabimus.

## §. 105.

Ostensurus igitur animæ humanæ materialitatem & mortalitatem, quam fundamenti loco, in allata (§. 101.) contra religionem objectione, urget, *Primum* argumentum petit ex perpetua mentis & corporis harmonia, hunc in modum: *Solas corporis conditiones mutatas, statim mutare omnes affectiones animæ, hasque statui præsentis corporis exactissime respondere studet probare, a.) temperamentorum varietate, quam ex habitu & proportionem definita inter solida & fluida corporis, motuque humorum diverso pervasculosum systema, deducit; hancque varietatem diversos, mentisque inclinationibus & moribus prorsus dissimiles, sistere homines credit. β.) Morborum quorundam phænomenis: Nam Medicis Practicis quotidie*  
ob-



obvium dicit, in morbis nonnullis animam quasi eclipsin pati, & apoplecticis, lethargicisque ægris fere exstingui, aut nullum suæ præsentiae signum edere, cum è contra Phreneticis & Maniacis animas binas aut plures esse, suspicari posset is, qui ad ipsorum loquacitatem & ferociam, ideæque perversas & delirantes attendit. Addit deinde venæ sectione sæpius ex stultis hominibus rationales fieri, & ideo laudat Hippocratem, qui putavit, inter omnia, quæ in corpore sunt, nihil magis, quam sanguinem ad prudentiam conferre. γ.) Melancholicorum conditione, quorum anima physis causis, absurdis & ridiculis phantasmatibus occupatur. δ.) Somno, nam anima & corpus simul dormiunt, quando sanguinis circuitus per cerebrum lentus & placidus redditur, nullus vero quieti est locus, ubi rapidus per quamcunque causam & fortis per encephalum volvitur. His accedat animam ex assumpto paucilli opii insveta voluptate perfundi & dulcissima requie recreari. ε.) Venenis quibusdam, quæ, permutando rationales animæ functiones, stupendos edere solent effectus. ζ.) Cibo & potu. Loquitur experientia, ex defectu utriusque natum languorem à corpore ad animam propagari, post ingestum vero nutrimentum, mentis alacritatem redire, & inter epulas, venas ingrediente gene-

H 2.

roso

roso vino, aterrimas curas pelli, & mordaces  
diffugere solitudines. 7.) *Diversitate se-*  
*xus.* Totum enim ingeniorum & inclinatio-  
num discrimen, quod foeminas à viris distin-  
guit, dependere aut ex subtiliori in illis, & fir-  
miori in his cerebri & nervosæ syntaxeos com-  
page. 8.) *Vultus consensione cum ani-*  
*mæ inclinationibus:* Putat enim non fal-  
li unquam conjicientes ex fronte, in rugas &  
strias contracta, vel in amabilem levorem ex-  
planata, ex oculorum vel blanda & gratiosa,  
vel detorta in obliquum acie, ex oris vel blan-  
do vel modesto succincto, vel turpiter defluente  
habitu, latitantem in interioribus penetralibus  
affectum. 1.) *Effectu aëris in nostras*  
*inclinationes,* quas aërem penitus mutare  
& diversissimas reddere, multas docere credit  
observationes, neque aliunde rectius quam à  
poli genialis variante ingenio, ejusque rigidita-  
te vel fervore deduci vires & facultates men-  
tis, inclinationesque hominum, in diversis cli-  
matibus degentium, mirum quantum inter se  
dissidentes. Ex his omnibus sequi arbitratur,  
animam non esse nisi materialem, & ideo mor-  
talem, consequenter religioni non dari locum.

Pluribus proponit hoc argumentum De la Mettrie in  
cit. Tr. L'homme Machine a pag. 9. ad 21. Nemo  
autem credat hunc Irreligionarium esse primum hu-  
jus dubioli auctorem, nam satis est antiquum, &  
ab Epicuro, Laërtio, aliisque propositum, & à  
pluri-



plurimis sufficienter solutum. Quia vero hic adversarius magno illud perpolivit adparatu, ut incautionibus imponere queat, dabimus ejus solutionem, sed brevem.

## §. 106.

Singula, quæ magno labore cumulat, momenta nihil probant aliud, quam dari inter animam & corpus elegantissimum commercium, ita, ut animæ perceptiones & sensationes, indeque pendentes inclinationes, ex variis mutationibus, in corpore factis, dependeant, quod nemo negavit. Hinc autem si materialitas animæ legitime flueret, vera poneretur hæc propositio major: *Quæcunque ita à se mutuo dependent, ut unius conditionibus mutatis, statim mutentur alterius affectiones, & hæc statui illius præsentis exactissime respondeant, eorum unum est ejusdem cum altero indolis, seu, eorum unum cum altero coincidit.* Hinc toto suo apparatu subsumere quidem intendit atheus! *At ea est inter animam & corpus relatio; indeque concludere: Ergo anima & corpus non differunt; seu, anima est materialis.* Sed ut pateat, quam falsa sit major illa propositio, sub eadem retenta formemus instantiam. *At eam esse experimur inter nostrum corpus & aërem, qui nos ambit, relationem:* Nam pro aëris majori vel minori puritate, gravitate, humiditate, siccitate &c. vel magis vel minus

nus bene valere nostrum corpus, vel æ-  
 grum vel sanum esse, sexcentæ docent ob-  
 servationes. *Ergo nostrum corpus & ær non  
 differunt, seu, nostrum corpus est æreum.* Si  
 vel parum attendis, fatearis necesse est,  
 erroneam esse hanc conclusionem, eoque  
 simul largiaris ineptissimam esse maiorem  
 illam propositionem, totamque tuam argu-  
 mentationem non valere ad inferendam a-  
 nimæ materialitatem. Neque credas propo-  
 sitionem istam, quæ est fundamentum to-  
 tius tui ratiocinii ullo argumento probari  
 posse: Nam ob elegantissimam rerum har-  
 moniam, à nemine, qui Systema munda-  
 num justo ponderat examine, negandam,  
 haud paucæ reperiuntur res, tali coëxisten-  
 tes relatione, ut mutationes in una obviæ  
 respondeant mutationibus in altera, vel ut  
 una in se contineat rationem sufficientem  
 mutationum quarumcunque, in altera con-  
 tingentium: sic, ut alia plurima in regno  
 naturæ taceam exempla, innumera sunt  
 in nostra tellure mutationes, quæ solis a-  
 ctivitati suam debent originem: Quis enim  
 nescit sole sublato, nos lumine & directo,  
 & ex corpore lunari reflexo, carituros esse,  
 aquam in glaciæ corpus abituram; eva-  
 porationem, aut omnem, aut maximam  
 partem cessaturam, pluvia & imbribus ter-  
 ram amplius non irrigatum iri, plantarum  
 pro-



progerminationes abituras esse, nec animalia & homines vitam amplius retenturos, cetera. Sed quam inepte hinc colligeretur tellurem & terrestria corpora non differre à solari materia, tam vana quoque est Domini De la Mettrie opera, qua ex harmonia mutationum mentis cum modificationibus corporis colligere cupit ad illius materialitatem. Regerit: *pravae conditiones animae corriguntur venae sectione & aliis remediis, ad corpus adplicatis. Ergo non potest non anima esse materialis.* &c. Simili instantia utar, quæ est soror tui discursus, sed fratricida: *Operationes, quibus artifex meliora reddit & præstantiora horologia, corriguntur, correctis instrumentis, vel aliis melioribus in locum hebetiorum substitutis. Ergo artifex ab instrumentis non differt. Ergo, præter instrumenta, alia non datur causa, producens horologia.* Quidquid mihi respondes tibi responsum esto. Anima, quamdiu hanc vivit vitam, corpore suo, tanquam instrumento, utitur in variis instituendis operationibus, quæ itaque, dum morbo laborat corpus, & suis cessat functionibus, etiam in suis languescit operationibus, neque suo restituitur vigori, nisi corpore in ordinem redacto.

§. 107.

Pergit religionis irrisor ad *secundum* pro materialitate animæ argumentum, quod

H 4

ex

ex comparatione cerebri humani & animalium petit, contendens à pag. 21. ad 25. ex observationibus constare, animalia, quo plus sunt ferocia, eo minus habere cerebrum, & ea proportionem, quo sunt dociliora, eo cerebrum habere majus. Non vero volumen solum cerebri sufficere docilitati, sed simul solida ejus & fluida sana esse debere, & justo inter se ut polleant aequilibrio requiri, Ex his & aliis ejusmodi fluere arbitratur, cerebrum ejusque structuram materialismo favere.

## §. 108.

Sed nihil hac opera contra veritatem proficit impostor: Nam quæ quæso argumentandi ratio: Animalia quo sunt dociliora eo majus habent cerebrum, homini est maximum. Ergo anima est materia cerebrina. Quis heic medius terminus? nullus plane. Sed ut videant scioli, quam vana hæc sit argumentatio, ei adferamus similem: *Horologia oscillatoria quo sunt præstantiora, per eo accuratiora & excellentiora confecta sunt instrumenta. Ergo præter hæc instrumenta, alius non datur artifex.* Rideliculus dicis. Non refragabor. Sed cave ne existimes tuum argumentum, datæ instantiæ simillimum, majori gaudere dignitate. Præterea, qui cum hoc auctore materialismi fundamentum in cerebro eoque urget, ut licentiam sibi sumat omnium Theologorum & Philosophorum pro animæ spi-



spiritualitate ridendi argumenta; ejus simul erit ex structura cerebrina clare & perspicue explicare functiones & operationes prætensæ materialis animæ. Sed fatetur hic noster Anatomicorum observationes esse adhuc rudes nec satis subtiles. Confitentur quoque omnes saniores Anatomici, se structuram cerebri complete adhuc detegere non potuisse. Miserum ergo & egenum pro sua hypothese selegit hic auctor fundamentum; ullam habeat rationem, aliorum pro simplicitate mentis contemnendi argumenta.

## §. 109.

Ut commentum suum de anima machina incautioribus & rerum ignaris magis persvadeat, *Tertio loco* (à p. 25. ad 32.) ad observationes accidit, ex quibus ridiculas format conclusiones: *Nam inde, quod quædam animalia cantent, & musicum imitentur, quædam loquelæ addiscendæ apta habeantur, colligit non impossibile esse, ut simia major, quæ homo sylvestris vocatur, & proxime ad hominem accedit, linguam ita addiscat, ut ad discursum reciprocum apta fiat. Quia si Ammanus surdos homines loquelam docere potuit, non vanam fore spem putat simiam suam, non cæcam, sed videntem & signa externa percipientem, nec surdam, sed audientem, traditam præceptori, qui Ammano similis sit, plus adhuc, quam Ammani Discipulos proficere posse; quia etiam Lockius, ob nimiam credulitatem*

numquam suspectus, à D: no Temple sibi persuaderi passus est, exstitisse psittacum, quæ non tantum loquelam didicerit, sed & ad quæsitæ, quem admodum homo, responderit, & verba occasione emergenti adaptare potuerit. Hinc, interspersis nonnullis observationibus, quæ ad præsentem non faciunt rem, mira metamorphosi contendit, simiam suam transformari in perfectum hominem, membris & musculis æque instructum, ac nos, ad cogitandum & proficiendum ab educatione paratissimum & aptissimum. Atque hunc ipsum transitum ab animalibus ad hominem, non habendum esse violentum, somniat, quum omnes homines sine verbis & linguarum cognitione, fuerint certæ speciei animalia, non à simia, nisi habitu externo, distincta. Neque infans suas sensationes & necessitates aliter exprimat, quam canis, quietis indigus & fame pressus. Verborum vero & linguarum beneficio tandem leges & scientias natas declarat, animalque humanum sensim fuisse educatum, & Geometram didicisse demonstrationes suas & calculos Arithmeticos, quem ad modum, simia discit tollere de capite & ei apponere pileolum. Perpurum ergo mechanismum natas esse omnes scientias, omnemque nostram cognitionem, nec ad hunc finem obtinendum nos opus habere anima immateriali, audacter concludit.

## §. 110.

Hoc argumentum, à religionis hoste prolatum, etsi non resolutione, sed potius risu sit dignum, ne tamen scioli ei plus, quam satis est, tribuant, ejus nævos & maxima deliramenta paucis detegamus. Nervus



Yus argumenti hic est: Si datur *Machina*,  
quæ in hominem rationalem transformari po-  
test, sequitur hominem nihil aliud esse, quam  
machinam. At verum est prius, quia dantur  
animantia bruta, quæ cantant, & lingue ad-  
discendæ sunt apta, quia simia major potest ita  
institui, ut cum ratione possit loqui. Ergo ve-  
rum quoque est posterius. Supponit itaque  
hic animantia bruta esse meras machinas,  
quam Carthesianorum opinionem alii soli-  
de confutarunt (vide nostram *Psychologi-*  
*am Rationalem*); Noster vero auctor suum  
assertum nullibi probavit. Ergo precario  
utitur principio. Deinde ostensuras simiam  
suam verba cum ratione proferre, & sic in  
hominem transformari posse, supponit si-  
miæ competere facultatem ratiocinandi, ad-  
eoque essentialia hominis possidere. Hoc  
igitur modo petit id, quod est in princi-  
pio. Itaque non mirum est, præter meram  
& imaginariam, conjecturam, aliud non  
esse huic auctori fundamentum pro mira  
illa metamorphosi simiæ in hominem ratio-  
nalem: Nam neque hic auctor, utut alias  
observationes studiose collegerit, neque ali-  
us quisquam, ulla ætate, actu ipso obser-  
vavit simiam loquentem. Varias quidem  
de simiarum docilitate habemus observatio-  
nes, sed eam eousque esse progressam, ut  
articulatam vocem distincte proferre potue-  
rint

rint, nemo unquam adhuc est expertus, licet multæ datæ fuerint fimia, quibus ob diuturnam cum hominibus; conversationem, amplissima fuit occasio, loquelam addiscendi, si potentia non caruissent. Hanc verò eis deesse ex Fabricio probat Experientiff. D. *Tralle* in citato libro p. 31. Nam si fabricam organorum, quibus gaudent fimia istæ majores, spectamus, eas humani quid in suo larynge habere, sed ventriculum sic dictum glottidis, qui vocis formationi serviret, equorum & porcorum ventriculo respondere inveniemus. Præterea linguam & labia, suas peculiare literas formantia, longe aliter in fimia videmus effecta, quam in homine. Possibile ergo non est, ut fimia ita locutionem efficere possit, ut homo. Consequenter fieri nequit, ut quis, siue fuerit Ammanus, siue ipse De la Mettrie, queat simias docere loqui. Longe aliud est docere surdos homines loquelam, aliud simias. Illi potentia loquendi gaudent, hæ destituuntur: Homines loqui quotidiana confirmat experientia; simias loquentes nullus vidit, nullus audivit.

Quamvis hoc ita sit, demus tamen simiarum patronum ita informare posse simiam, ut discat proferre quædam verba, an inde sequitur eam tunc fieri rationalem, & in ho-



hominem transformari posse? Minime: Nam ut ex loquela ad rationem colligamus, requiritur, ut loquens, discursum reciprocum instituere & occasione emergenti adaptare vocabula valeat. Sed simiam ad hanc in loquendo perfectionem attingere posse dicit quidem opponens, sed ne verbo quidem probat: Nam de exemplo psittaci, hoc modo loquentis, quod ab auctore *Le Chevalier de Temple* recenset Lockius, multam habemus dubitandi rationem: Quæcunque enim de psittacis loquentibus reperta sunt exempla, ostendunt ad unum omnia, eas non potuisse occasione emergenti adaptare vocabula, sed quæ blaterant, objectis externis non nisi casu respondere, esse sine sensu & ordine, abrupta nunquam concinno ordine in orationem coacta. Ridiculum ergo est commentum, transformans bestiam in hominem rationalem. Nec minus risu dignum est, quod ex precariis suis, & re ipsa, nullis principiis, concludere velit, hominem, sine verbis & cognitione linguarum, fuisse certæ speciei animal, non distinctum à simia, nisi habitu externo. Infans clamore ita exprimit suas sensationes & necessitates, ut ad exercitium rationis successu temporis perveniat, quod frustra à cane expectat opponens. Verborum & linguarum beneficio natæ sunt leges  
&

& scientiæ, ita tamen, ut nemo sanus credat, leges & scientias, nihil præter externa signa, quæ vocabulis exprimuntur, continere: Nam si nulla daretur lex, nulla scientia, nisi mere vocabularia, omnique reali fundamento destituta. Sed plura de hac re ad sequens ejusdem auctoris argumentum.

## S. III.

*Quartum* pro mechanismo hominis & animæ materialitate, satis prolixum variisque paradoxis repletum à pag. 32, ad 47. profert idem auctor argumentum, cujus brevem exhibebimus summam: Credit ex distinctione & nexu figurarum signorumque sequi omnes scientias nihil esse, nisi largissimam congeriem vocabulorum & figurarum, per sensum externum in cerebro vestigia efformantium, quorum ope objecta distinguamus nobisque repræsentemus, vocabulaque illa & figuras adeo invicem necti in cerebro, ut vix imaginemur aliquid sine signo vel nomine, ipsi adhaerescere. Hac ratione affirmat, omnes animæ functiones posse reduci ad solam imaginationem, quæ, institutione adjuta, arripiat ideas, & ita innumerabilia objecta sua faciat, adhibitaque attentione catenam conclusionum inde formet & hac ratione intellectum producat. Unde sequi arbitratur, judicium, memoriam, ratiocinationem non esse partes absolutas animæ, sed certas modificationes substantiæ medullaris, ideoque & has & ipsam imaginationem organismo cerebri perfici; consequenter inter principium sentiens & cogitans in homine perperam



*ram dividi, ipsosque simplicitatis animæ defensores sibi contradicere, & absurde dividere, quod pro indivisibili habent. Atque hoc modo clamat spiritualitatem & immaterialitatem animæ esse vana vocabula & omni sensu destituta.*

## §. 112.

Respondemus neminem hoc impostore esse magis vanum: Nam quam est inauditum, tam etiam absonum, statuere omnes scientias, nihil esse, nisi congeriem vocabulorum & figurarum, in cerebro vestigia efformantium: Præterquam enim quod ex hoc commento sequatur, nullas dari ideas, præter sensuales, quem gravem errorem sæpius confutavi; facile ostenditur hinc everti omnes scientias, etiam eas, quarum sensualia sunt objecta, & quas solas scientiæ nomine dignas clamat hic opponens: Quidquid enim per sensus externos percipimus, id singulare est & omnimode determinatum. Si ergo scientiæ non essent nisi congeries vocabulorum & figurarum, per sensum externum in cerebro vestigia efformantium, è scientiarum campo expellerentur omnes ideæ universales, omnesque idcirco propositiones universales, quas sine generalibus ideis dari non posse intelligunt vel in Logicis tyrones. His autem sublatis tollerentur omnia ratiocinia, quæ, juxta notissimam verissimamque Logico-

rum

rum regulam, sine universalibus formari nequeunt propositionibus. Sine ratiociniis nullæ dantur demonstrationes, nullusque patet nexus unius veritatis cum altera. Sed quem ad modum scientia, subjective spectata, est habitus demonstrandi, ita objective considerata, denotat nexum veritatum, legitima demonstratione stabilitum. Ergo per hypothesin hujus auctoris tollerentur omnes scientiæ. Dicit quidem adhibita attentione, ex ideis istis, imaginationi impressis, formari catenam conclusionum, indeque generari intellectum, Sed sic secum ipse egregie pugnat: Nam unde formabitur illa conclusionum catena? Non ex ideis sensualibus, hæ enim non exhibent nisi objectum singulare, & ideo sunt ideæ singulares, ex quibus solis nulla formari potest conclusio. Hanc autem dari credit adversarius. Ergo simul fateatur necesse est, erroneum esse suum commentum, quo putat scientias nihil continere aliud, quam congeriem vocabulorum & figurarum.

## §. 113.

Fundatur falsissimum hoc opponentis commentum in alia hypothesi æque falsa, qua putat, cerebrum esse idearum, figurarum rerumque omnium, cognitarum receptaculum & promptuarium. Docent. Anatomici

ima-



imagines, organīs sensoriis impressas, ad cerebrum non propagari, sed omne, quod per sensationem ad cerebrum venit, esse motum nervorum, ab efficacia objecti excitatum vid. Celeb. Halleri not. ad §. 569. cit. Prælect. Børhavian. Sed hic motus, ob circumambientium particularum resistantiam, imminuta celeritate successive debilitatur, donec prorsus exstingvatur. Ergo impossibile est, ut idea materialis, per sensationem externam excitata, cerebro constanter inesse pergat. Præterea fingamus ideas illas materiales objectorum tamdiu permanere in cerebro, cessante licet actione objectorum in organa, quamdiu objectorum, semel perceptorum, datur in nobis reminiscendi facultas: Ideæ istæ aut permanent in eodem cerebri loco, ad quem fuere propagatæ, aut novis accedentibus, alium occupant: si prius, tunc, quia sensibile B, diversum ab A, in idem organum agens, in iisdem nervis, pro diversitate ideæ, diversum efficit motum; etiam hic motus ad eundem propagaretur cerebri locum, ad quem venit motus ex sensibili A. Idem valeret de omnibus aliis objectis C, D, E &c. Ergo eadem cerebri pars diversos simul admittere posset motus. Hoc vero æque est absurdum, ac fingere unum eundemque globum simul ferri ad dextram

PARS III.

I

&amp;

& simul ad sinistram, simul hac celeritate & simul alia. Si autem posterius placeat, statuaturque ideam, prius impressam, novis accedentibus, alium occupare cerebri locum; una ergo idea, de novo accedens, alteram loco suo pelleret. Sed, per modo dicta, idea ista, quæ ad cerebrum propagatur, absolvitur certo & definito motu. Particulas itaque cerebri, in definito positas motu, aliæ cerebri particulæ, in alio motu collocatæ, loco pellerent. Obvia autem docet experientia, corpus motum, in aliud motum impellens, & suum & alterius motum mutare. Si ergo dicta valeret hypothesis, sequeretur, neque ideam, quæ de novo accedit, neque pristinam diu manere invariata, sed in aliam mutari. Quod perspicue ostendit, neque posterius illud valere membrum salva hypothesis. Conf. Illustris Wolfii Psychol. Rat. §. 244, qui alio adhuc modo posterius illud membrum reduxit ad absurdum.

## §. 114.

Præter id, quod in Psycholog. Ration. 2 me est demonstratum, impossibile scilicet esse, ut imaginatio per merum mechanismum absolvatur, unde sequitur ab imaginatione animæ ad ejus materialitatem absurde colligi; etiam hinc ineptissime Philosopho-



losophari opponentem intelligimus, quod credat omnes animæ functiones referendas esse ad imaginationem: Nam 1.) Imaginatio est facultas reproducendi ideas, sensu externo olim perceptas. Docet vero experientia repræsentationes sensuales esse confusas, nec unquam sine justa reflexione fieri distinctas. Neque ergo imaginatio ultra confusas adscendit ideas. Consequenter intellectus cum suis operationibus, quia est facultas res distincte repræsentandi, ex imaginatione derivari nequit. 2.) Quidquid sensu externo percipimus, illud est individuum & singulare, nam in organa sensoria agere debet. Sed imaginationis alia non sunt objecta, quam quæ sensu externo olim fuere percepta (per def. imag.). Ergo quidquid imaginationi sistitur, id est, individuum & singulare, non universale. Consequenter si omnes animæ functiones ad imaginationem reduci possent, ut fingit adversarius, nullas haberemus notiones universales. Sed sine his, ut Logica docet, ratiociniis non datur locus. Ergo facultate ratiocinandi, ipsaque ratione careret anima humana. Quod omni repugnat experientia. 3.) Fatetur opponens se non negare, imaginationem indigere attentione, quia sine hac fugax esset & turbulenta. Sibi ipsi ergo contradicit, reducens omnes animæ

I 2 fun-

functiones ad imaginationem: attentio enim aut cum imaginatione coincidit, aut ut directrix, ab eo, quod dirigit, differt. Si prius, quia secundum confessionem opponentis attentio dirigere debet imaginationem, idem foret, ac si affirmaret, fugacem & turbulentam imaginationem corrigere seipsam; quod in ipsis terminis est contradictorium. Si posterius, cadit opinio adversarii, qua omnes animæ functiones ad imaginationem reducere conatur: Quis enim sanæ mentis dicat dirigens, & id, quod dirigitur, esse unum idemque. 4.) Habet adversarius imaginationem pro receptaculo idearum in cerebro. Ex mero autem materiali receptaculo derivare velle memoriam, iudicium, & intellectum, idem sane est, ac affirmare tabulam, in qua delineatæ sunt omnes figuræ Geometricæ, esse ipsam Geometriam, nec aliud ad Geometram constituendum requiri. Innumeris ergo absurditatibus se obnoxium reddit hic adversarius.

## §. 115.

Ex his omnibus abunde intelligitur, contradictorie statui memoriam, iudicium & ratiocinationem, non esse nisi certas modificationes substantiæ medullaris; Nam neque imaginatio, ut hic auctor principii lo-

co



eo ponit, consistit in certa cerebri dispositione (§. 113.), neque ex illa fluunt memoratæ functiones (§. 114.). Perperam præterea & otiose clamat adversarius, spiritualitatis animæ defensores, distinguentes inter principium sentiendi & cogitandi, sibi contradicere: Nam quis quæso, veram animæ simplicitatem defendens, unquam dixit, principium sentiens in homine esse realiter distinctum à principio cogitante? Nemo, præter Materialistas, qui adeo absurdi sunt, ut talem distinctionem faciant. Qui vero animæ tuentur simplicitatem, ostendunt ei non competere nisi unicam vim, quæ per diversas facultates se exferit; Et ex hoc fundamento distinguunt inter facultates sentiendi & intelligendi. Si hoc destrueret animæ simplicitatem, sequeretur unicam vim non posse, sine reali sui divisione, se exferere per diversas facultates. Hoc autem eo minus probabit adversarius, quo certius est in regno Physico dari exempla contraria: Eadem enim solis vis exferit se, pro diversitate objectorum, nunc induratione, nunc liquefactione, unde colligimus vim solis includere facultatem & indurandi & liquefaciendi. Itaque à diversitate facultatum ad realem principii activi compositionem recte non concluditur. Tota itaque sua opera

I 3

pro-

probare non potuit adversarius animæ immaterialitatem esse vanam & omni sensu destitutam.

## §. 116.

Succedit *Quintum* ejusdem adversarii pro mortalitate animæ argumentum. 1.) *Si non conceditur*, inquit pag. 80. *partem cerebri cogitare, cur quando acrius & attentius cogitamus omnis sanguis commovetur? Ex effectu apparet causa. Si per tensionem nervorum calor & febris excitatur, & intellectus turbatur; si intellectus, nimis fatigatus, corpus pessundat; si titillatio nervorum me facit velle, meque cogit desiderare ardentem, id, quod antea repudiabam; si certa dispositio cerebri excitat eundem pruritum, eadem desideria, cur duplum facimus, quod tantum simplex est & unum? Perperam hic recurritur ad imperium voluntatis, corpus enim tantum obedit, quamdiu est sanum, & adsunt spiritus & sanguis, paralyti præsentem id imperium nihil juvat, neque ardentissimum velle instaurat exhaustum ab amica amasium.* Addit 2.) exempla, quæ ostendunt, corpore bene valente & organis ejus in sano positis statu, animam esse sanam, & suas functiones legitime instituere, contrarium vero evenire, dum corpus & ejus organa aliquo laborant vitio. Putat 3.) omnia animæ pathemata explicari posse per materialitatem



tem animæ, qua concipitur ut pars materialis sensibilis cerebri, quod tanquam elater princeps in machina humana, ex congerie elaterum, situ & virtute differentium, & mutuo se in sua actione juvantium, composita, reliquos excitat. Deinde, postquam nonnulla contra Medicos Stahlianos disputaverit, in robur suæ sententiæ provocat 4.) ad excellentes, ut ipsi vocantur, Philosophos, qui demonstrarunt cogitationem nihil esse nisi facultatem sentiendi, & animam rationalem nihil esse nisi animam sensitivam, sese adplicantem contemplationi idearum, & ratiocinantem. Idque hoc solo probari credit, quod sensu extincto, etiam cogitatio pereat, ut in apoplecticis, lethargicis, catalepticis. Ex his omnibus audacissime colligit hominem non esse nisi machinam.

## §. 117.

Multa conatur adversarius audacissimus, quoniam vero magis pruritu contradicendi, quam veris argumentis pugnat, nihil efficit; ad malam defendendam causam defectu laborat argumentorum. Ergo crambem vel centies coctam & recoctam nobis obtrudere conatur: Pleraque enim, quæ in hac dantur objectione antea attulit (§. 105.). Quare etiam ea, quæ responsionis loco prius (§. 106.) adduximus, ad hanc sufficere possent obiectiunculam, quæ nihil

hil infert aliud, quam elegantem dari inter animam & corpus harmoniam & dependentiam mutuam; ne tamen calumniator habeat ullam querendi causam, nos omis-  
 sisse, quod nostrarum credit esse partium, pauca ex abundanti addamus. Quærit, *cur quando acrius & attentius cogitamus, omnis commoveatur sanguis?* Respondeo, quia in omnibus ratiociniis memoria & imaginatione opus habemus (§. 187. Psych. Emp.), & quidem ita, ut læsa memoria & imaginatione inepti reddamur ad ratiocinandum (§. 188. l. c.); quia etiam omnis memoria, quam diu hanc vivimus vitam, certam in cerebro, ut sua officina, postulat dispositionem reproducendi vel recipiendi ideam materialem, quæ in motu nervorum consistit, vel phantasmati rei cognoscendæ, pro sensuali memoria, vel vocabulo, pro intellectu-ali, respondentem (§. 150. l. c.); quia denique cerebro alligantur nervi, à nervis autem eorumque conditione mutata, mutatur actio cordis & arteriarum; ideo, quo acrius & attentius ratiocinamur, eo magis commovetur sanguis. Quo autem modo hinc exsculpas animam esse materialem, non video. An, quia quo acrius & fortius tortor agitatur lignum, eo magis illud incallescere solet, inde sequitur tortorem, ejusque operationem non differre à ligno?  
 Quis



Quis sine risu talem exaudiat argumentationem? Nec majori dignitate eminet illa, qua utitur noster adversarius. Sed dicit *ex effectu apparere causam*, ita quidem hac ratione, ut, posito effectu, non possit non poni aliqua causa; hac etiam, ut ex effectus præstantia ad excellentiam causæ arguemur; Non autem, quasi ex indole effectus colligere liceret ad indolem causæ. Nam sic ridicule sequeretur tortorem ejusdem esse cum opere confecto naturæ. Inter intellectus operationes princeps est ratiocinatio, quam certam nervorum requirere dispositionem modo probavimus; mirum ergo non est per tensionem nervorum turbari intellectum. Hinc vero non magis fluit, intellectus operationes certa nervorum dispositione absolvi, quam si colligere velles, artificem à sua officina non differre, quia illius operationes dependent à certa hujus dispositione. Dum nimis fatigatur intellectus pessundat corpus, eodem fere modo, quo, dum diu & fortiter poliendo chalybe exhauriuntur artificis vires, hebescit lima. Ergo lima & artifex ejusdem sunt dignitatis & conditionis. En! elegantem, scilicet, argumentandi modum.

## §. 118.

A sola nervorum tensione oriri velle nostrum & nolle, nec aliud dari voluntatis imperium, audacter contendit adversarius. Docet experientia nullum in nobis oriri appetitum & aversationem sensitivam, sine præcedanea boni & mali idea, aut sensuum externorum beneficio acquisita, aut imaginatione reproducta. Sed omni sensationi, omnique imaginationi respondere ideam materialem in cerebro, cum majori minore conjunctam nervorum tensione, ex fortiori vel debiliore sensatione & phantasmate excitata, evincit eadem experientia (§. 52. 98. Psych. Emp.). Dicere ergo possum nostros appetitus sensuales, qui ex confusis ideis derivantur, oriri in nobis, dum hæc vel illa nervorum titillatio & tensio in nostro datur corpore. Sed an hinc sequitur nervorum titillationem esse solitariam nostrorum appetituum causam, nec alios, præter sensitivos, dari appetitus? Neutrum est verum: Nam si ex tensione nervorum, quæ cum omni sensatione & phantasmate magis vel minus jungitur, unice dependerent omnes nostri appetitus, sequeretur, physica necessitate laborare nostros appetitus, nec ullam dari sensationem, cui non responderet appetitus vel aversatio. Docet vero experientia multas dari sensatio-

nes,



nes, cum appetitu vel averfatione non conjunctas; fic ambulantis, per plateas urbis, vifui multa splendida offeruntur ædificia, haud raro fine ullo ad illa appetitu; fic etiam, ut utar exemplo quod adverfario eft familiare, non omnis in confortio fœminarum conftitutus, venereo in illas accenditur appetitu. Ergo non quælibet fenfatio producit appetitum. Quod vero nulla heic adfit phyfica neceffitas, ut alia taceam, vel fola demonftrat experientia, abunde docens noftræ potestatis eſſe cohibere noftras appetitiones, easque mutare, & ſub imperio rationis continere. Unde ſimul intelligitur, præter ſenſitivos appetitus, etiam dari rationales, quos voluntatis titulo deſignare ſolemus. Hanc vero ex titillatione nervorum derivare, eo magis eſt abſurdum, quo certius eſt facultatem ratiocinandi omni materiæ repugnare, quod omnium clariffime evincunt, quæ pro ineptitudine materiæ ad cogitandum in *Psychol. Rat.* à me ſunt demonſtrata, quæ, ſi, pro more ſuo, videat & puerilia judicet irriſor, credatque hoc ipſo ea ſufficienter eſſe confutata; ſciat nos potiori jure riſu excipere ejus objectiunculas, quas nihil continere momenti ſatis ſuperque eſt oſtenſum. Atque hoc modo puerile eſt, nec dignum tam ſuperbo viro, qualis eſt De la Mettrie, quod inde  
cre-

credat imperium voluntatis esse nullum, nullamque nisi materiale voluntatem, quia corpus agrotum & exhaustum non obedit: Nam nemo tam à ratione est alienus, ut credat animam sola voluntate movere suum corpus, quum sola voluntate aliquid efficere sit solius Dei perfectio. Præterea eo ipso, quo dicit, imperium voluntatis non posse movere exhaustum corpus, tacite fatetur dari in nobis voluntatem, distinctam à tensione nervorum, & ab hac non derivatam. Id ergo, quod pro sua allegat hypothese, eam directe evertit. Hoc sine dubio, si quid aliud, est pueriliter argumentari. Non ergo sufficit simplum, h. e. solum corpus, sed omnino requiritur duplum, h. e. anima & corpus, ad ea producenda effecta, quæ in nobismetipsis observamus.

## §. 119.

Quod secundo adfert noster adversarius loco, putatque animam ideo esse materiale, quia illam experimur sanam, & suas functiones recte instituere, dum corpori & ejus organis sua constat integritas, contrarium autem evenire in morbidò corporis & vitioso organorum statu; tam est puerile & ineptum, ut eodem plane argumentandi modo colligeres, corpus nostrum esse ligne-



gneum vel lapideum, quia pro bona vel mala conclavis, quod inhabitat, lignei vel lapidei dispositione bene vel secus valet. Adde etiam ea, quæ ad simile argumentum adduxi (§. 106.).

## §. 120.

Devolvimur ad tertium objectionis momentum, quo putat adversarius, omnia animæ pathemata explicari posse per partem materialem sensibilis cerebri, quod tanquam elaterem principem, ceteros momentum & excitantem concipit. Fateor, quod §. 413. Psych. Emp. demonstravi, omnes animæ affectus, esse conjunctos cum extraordinaria sanguinis & fluidi nervei commotione. Antea ostendi (§. 117.), omni sensuali ideæ, omnique phantasmati, respondere ideam materialem in cerebro, quæ conjunctissimum sibi habet in corpore humano nervorum motum: simul ex Anatomicis constat, corpus in omni suo motu indigere cerebro & cerebello, quia utroque destructo, nullus superest. Liquet pariter mutationem vultus & gestuum, quam in affectibus sensitivis observamus, fieri per musculos, qui sine motu fluidi nervei non mutantur. Nullum ergo est dubium, quin externa affectuum signa, quæ in corporis nostri superficie se exerunt, ex fortiori flui-

fluidi nervei in cerebro commotione excitentur & dependeant. Hinc tamen non sequitur omne illud, quod affectibus inest, eandem materialem agnoscere causam: Nam affectus, quoad animam, sunt vehementiores actus appetendi & averfandi (§. 402. *Psych. Emp.*). Si ergo affectus causam agnoscerent, quam dicit adversarius, omnes nostri appetitus ex tensione nervorum dependerent. Sed hoc absurdum esse modo evicimus (§. 118.). Ergo animæ pathemata explicari nequeunt per partem materialem sensibilis cerebri. Præterea demonstrant Physiologi moderni, si in cerebro ponitur princeps elater, eum à se ipso neutiquam actuari, sed subordinatum esse actioni cordis, quod solum propellit liquidum nervosum in omnium partium musculorum & sui ipsius usus. Si ergo ex elateribus cerebri, ut habet adversarius, dependerent omnes animæ passionēs, anima non esset pars cerebri, sed cordis. Quod Epicuræum quidem est, sed assertioni auctoris inimicum.

## §. 121.

Restat quartum & ultimum objectionis momentum, quo dicit adversarius excellentes Philosophos demonstrasse, cogitationem nihil esse nisi facultatem sentiendi, & ani-



animam rationalem coincidere cum sensitiva. Nos autem jure contendimus hos Philosophos esse parum excellentes, nec suam sententiam unquam demonstrasse: Nam si sub cogitatione comprehenditur intellectus cum omnibus suis operationibus, quod hos Philosophos facere dicit adversarius, maximus est error statuere, cogitationem nihil esse nisi facultatem sentiendi: Nam 1.) hæc facultas non consistit nisi in potentia percipiendi res externas, quæ in organa sensoria agunt. Ergo hæc facultas non includit attendendi, reflectendi & ideas comparandi potentias, sine quibus tamen, teste experientia, nostra cogitatio non suscipitur. 2.) Facultas sentiendi objecti loco habet non nisi res singulares, & quidem organis externis obvias. Intellectus autem, & præcipue ratio, nexum veritatum universalium perspicuens, ultra singularia adscendit, & ideas universales intuetur, immo, per internam conscientiam format ideas propriorum actuum, quorum notitiam nullo sensu externo sibi acquisivit: Absonum enim est dicere, se visu, tactu, olfactu, gustu vel auditu percipere suum judicium & ratiocinium, quod animo format. 3.) Facultas sentiendi ultra confusas ideas non adscendit (§. 76. Psych. Emp.): Intellectu vero percipiuntur res distincte. 4.) Habent

bent animantia bruta facultatem sentiendi & animam sensitivam, sed intellectu & anima rationali destituuntur, quod in Psychologia Rationali demonstravi. Hæc ergo & alia ejusdem generis plura perspicue evincunt, falsum esse dogma, quo ponitur cogitationem nihil esse nisi facultatem sentiendi. Si vero adversarius sua assertionem eos intelligat Philosophos, qui omnis cognitionis nostræ incunabula repetunt à sensu externo, negantque omnes ideas connatas, non denego illis omnibus magnam nominis celebritatem, sed sciat adversarius, se pessime explicasse eorum mentem; Nam quamvis dicant sensum externum esse matrem omnium nostrarum idearum; nunquam tamen affirmant, nec salva definitione & indole facultatis sentiendi, affirmare possunt, cogitationem nihil aliud esse, quam facultatem sentiendi. Tandem exemplo apoplecticorum, lethargicorum & catalepticorum probare conatur opponens, extincto sensu, perire cogitationes, & ideo à sensu non differre cogitationem. Sed observet se in conclusionibus, pro lubitu formandis, esse valde liberalem. Docet experientia, compresso apoplecticis, lethargicis, & catalepticis cerebro ita omnem aboleri sensum, ut eorum corpus, licet per aliquot dies vivum, acerrimos tamen clysteres, rodent-



rodentia falia, caustica potentialia & actualia, rudesque valde friciones, non magis sentiat, quam cadaver. An vero hinc sequitur, periisse omnem cogitationem? Minime, nisi fundamenti loco ponere velis, sensum esse cogitationem. Sed sic id petis, quod est in principio. Præterea ipse perpendas oro, an valida sit hæc argumentatio: De la Mettrie nullo externo signo & indicio declarat se esse rationis participem. Ergo facultate ratiocinandi caret. Dicis ineptam esse hanc conclusionem. Rectissime. Nec tuam putabis hac meliorem: sunt enim tibi simillimæ.

## §. 122.

Priusquam finem huic imponam discursui, aliquot generales adferre placet observationes, quibus patebit hunc virum, data quasi opera, sibi contradicere. I.) Ingenue fatetur p. 91. se æque ignorare naturam motus, ac materiæ, se nescire, quo modo hæc iners agere queat, quo modo sensum & cogitationem producat. Per totum vero libellum adeo audax est & certus de suo commento sibi videtur, ut animam spiritualementem et ens phantasticum, doctrinam de eius simplicitate puerilem, omnes eos rideat, qui animam spiritualementem defendere conantur, & tandem, ad finem libelli, dicat,

PARS III.

K

cat,

cat, se audacter concludere hominem non esse nisi machinam nec dari in universo, nisi unam substantiam, diversimode modificatam. Quivis ergo facile intelligit has adversarii assertiones prioribus è diametro repugnare. 2.) In initio libelli dicit impiissimus auctor se non revelationem, nec rationem, sed solam experientiam principii loco esse adprobaturum. Per totam vero tractationem abunde declarat se non attendisse vel attendere velle ad ea, quæ de ipsa anima experimur, describitque Psychologia Empirica. In eo autem unice est sollicitus, ut varia corporis humani phænomena delineet & tradat, quasi ex iis decideretur, qualis esset animæ natura. Peccat igitur contra propria præcepta, ostenditque se de veritate investiganda fuisse sollicitum, sed potius gravi præjudicio occupatum habuisse animum de mentis materialitate, atque ad hunc finem observationes quascunque corrasisse. 3.) Ad finem libelli magna clamat audacia, se non agnoscere alios iudices, quam solos Medicos, nec alios admittere, quam in Anatomicis & Philosophia corporis humani versatos. Hunc igitur Tractatum dedicavit Celeberrimo & Experientissimo Hallero, cujus se fatetur discipulum, addere debuisset, valde de generem: Nam vir Incomparabilis Dominus



nus Haller sæpe in scriptis suis elegantissimis ostendit, insigne dari inter animam & corpus discrimen. Omnium vero clarissime hanc rem explicuit §. 556. Physiologia, ubi hæc leguntur, notatu dignissima: *Aliam naturam animæ esse à corpore, infinita probant, maxime ideæ & affectiones animæ, quibus nihil in sensu respondet. Quis enim superbiæ color, aut quænam magnitudo est invidiæ? Potesne corpus ita duplices vires adipisci, ut ejus infinitæ particule in unam massam coalescant, quæ non suas affectiones solas conservent, sibi que repræsentent, sed in unam communem totalem cogitationem consentiant, quæ ab omnium differat attributis, omnia tamen ea attributa recipiat & comparet? Estne aliquod exemplum corporis, quod absque externa causa ex quiete in motum transeat, motus directionem, absque occurrente alia causa, mutet, reflectat, ut in anima facillimum est observatu. Itaque huic Viro summo non potuit non ita displicere inscriptus Nomini suo libellus, *L' homme Machine*, ut de injuria sibi facta publice sit conquestus. Ex his sine difficultate perspicimus, Dominum De La Mettrie gessisse animum, à veritatis studio alienum, sibi que contradicentem, quum nec ad Medicorum, & in his Celebrissimi Halleri, quem tamen suum Præceptorem adpellare audet, solida cogitata*

attendere voluerit, licet, ut imbecillioribus facilius imponeret pessimus impostor, ad eorum provocet judicia.

## §. 123.

Tuti ergo speramus, nos ita explosisse primarium hujus cavillatoris argumentum, quod contra religionem maximo protulit impetu (§. 101.), ut in illo, nihil, præter nuda verba, habeat reliqui: Examina-  
mus enim ab initio ad finem impium tractatum. Sed quoniam in eo omnem rationis usum ejuravit, Tibi L. B. non videatur mirum, quod iterum regrediamur ad pag. 48. & seqq. ubi aliis diverticulis omnem religionem magno adgreditur furore. Itaque juxta nostram computandi rationem esto.

IV.) Contra religionem Objectio: Si daretur religio, illa æque stringere animantia bruta ac homines. Sed fatentur religionis defensores, brutis nullam datam esse religionem. Ergo, En! dementiam maximam, omnis religio est fabula, nihil reale habens. Propositionis hypotheticæ membrum posterius, more solito, ita probare conatur: Tanta sunt brutorum præ hominibus prærogativa, ut ad certam ætatem homo magis sit animal brutum, quam reliqua, quia recens natus moriretur fame, ad rivum, lacte turgidum, collocatus; infansque undis submergeretur, quas aliud animal natando effugeret. Comparemus infantem & catulum, qui uterque in via publica amisere suas matres, ille inani ploratu luget a-

mis



missum custodem, quem hic odoratu prosequitur & invenit. Homines ergo, animalibus natura inferiores, per solam educationem ea superare concludit. Deinde, ne sibi objiciatur, homini impressam esse legem naturalem, & cognitionem boni & mali, qua animantia bruta carere dicuntur, reponit, hanc assertionem in experientia non esse fundatam, nos quidem scire & intime sentire, quod cogitemus, & ob male facta morsibus conscientiae angamur; hunc tamen sensum non sufficere, ut de alterius conscientia convincamur; in hoc igitur puncto aut acquiescendum esse in nudis aliorum verbis, aut ex signis externis, quae in sensus nostros incurrunt, concludendum ad eandem conscientiam, quam in nobis experimur. Addit, animantia bruta destitui loquela, & ideo non posse verbis significare animi sensa, ut ergo cognoscamus, an eadem, ac nos, habeant conscientiae dictamina, ad facta eorum esse attendendum, ex quibus patere putat canem v. gr. qui herum momordit, paenitentia duci, contristari, latebras quaerere, repentemque & humilem ex illis redire; leonem pepercisse homini, sibi obiecto, beneficiorum, ab eo olim acceptorum, memorem, multo plures ingratos existere homines, &c. Igitur, quia bruta, sentiunt, deliberant, ratiocinantur, aequae ac homines; quia beneficiis & injuriis moventur; quia doloris & voluptatis aequae, ac nos, capacia sunt; quia signa paenitentiae & intellectus edunt; concludendum esse dicit, illa aequae ac nos, legis & religionis esse capacia.

## §. 124.

Magno ausu contra religionem insurgit hic impostor, sed nihil efficit, ubique trium-

umphant veritas. Brutis quibusdam, recens natis, nonnullas esse corporis perfectiones majores, quam hominibus, nemo negat. Sed perpendat adversarius, illis præscriptam esse breviorē, his longiorē vitæ periodum, eumque in natura constitutum esse sapientissimum ordinem, ut perfectiora opera serius ad maturitatem veniant, quam minus perfecta; sic insecta intra breve tempus concipiuntur, nascuntur, maturescunt, senescunt & intereunt: Animalia autem quadrupedia, ut equi, longe diutius poscunt vitæ cursum; an inde colligendum insecta superare equos perfectione? Absit. Possident infantes animi perfectiones, ad quas nunquam pertingere possunt bruta. Vix annum egressus puerulus loqui incipit, indiesque in loquendo proficit, & post breve tempus ad quæsitā apte respondere, emergentique occasione vocabula accommodare potest; certissimo indicio eum & intellectu & ratione gaudere, inque harum facultatum exercitio, indies crescere. Hinc etiam infans trium vel quatuor annorum, qui in via perdidit matrem, non quidem odoratu, ut canis, longe tamen præstantiori modo, loquelam intelligo, eam investigare potest. Quid ergo opus adeo extollere sensuales brutorum perfectiones, quum homini in infantili ætate competant ratio-



rationales, sensibilibus istis longe eminentiores, ad quas bruta, si vel maxime superarent hominis ætatem, nunquam pertinere possunt.

## §. 125.

Conscientiam factorum & faciendorum, nec non morsus conscientiæ ob male acta, cuivis competere homini hoc loco largitur adversarius, quod tamen in aliis negat. Eandem hanc conscientiam & cognitionem boni atque mali brutis tribuendam esse contendit, quia ex actionibus eorum patere putat, illa intelligere, ratiocinari, & ob male facta, pœnitentia duci, æque ac nos. Sed in his, ut per totam tractationem egregie hallucinatur noster adversarius: Canis enim, qui herum momordit, nulla veri nominis angitur pœnitentia, sed tantum per legem imaginationis sibi in memoriam ducit verbera, cum simili actione prius conjuncta, & ideo eadem nunc metuens, latebras quærit, & ex illis humilis venit, simul, per eandem imaginationis legem, sibi in memoriam revocans, se ejusmodi submissione antea evitasse pœnam. Tota ergo hæc canis actio præter sensationem, imaginationem, & memoriam sensualem nihil ostendit, nec aliud supponit, quod vero intellectu gaudeat & ratiocinatione, id

ex hoc & alio quovis canis facto aliter colligi nequit, quam si statuatur sensationem & imaginationem includere intellectum ejusque operationes, quod tamen absurdum esse antea evicimus (§. 121.). Eodem modo, per legem imaginationis, sensationem & memoriam explicantur leonis aliorumque animalium facinora. Quaecunque ergo ab adversario allegantur & allegari possunt è regno animalium exempla, non probant id, quod probandum in objectione sumitur: Bruta enim intellectu & ratione carere tam ex his, quam illis, quæ in Psychologia Rationali uberius demonstravi, abunde intelligitur.

## §. 126.

Excipit impostor: Sit, quod decipiar, quia totus mundus mihi contradicit. Bruta ergo non habeant cognitionem boni & mali moralis, nullum virtutis sensum, nullam legem Naturalem. Quid autem ex his concessis, sequitur? Homines natura formavit ex simplici & eadem illa pasta, ex qua formata sunt animalia, licet in illis & his producendis diversa adhibuerit formenta. Si ergo animalia non essent legis & cognitionis boni malique capacia, neque hominibus competeret hæc cognitio, neque eis ulla data esset lex. R. Deceptus est adversarius, & quidem ita, ut ad mente captos & insanientes sit referendus: Nam quis, nisi insaniens, proferat tale argumentum: Corpora animalium & hominum

ex



*ex terra sunt formata. Ergo non his magis, quam illis competit cognitio. Quis ergo id contra eos, qui contendunt corpori ejusmodi denegandam esse potentiam, urgeat, nisi qui fallaciam petitionis principii manifestam committere velit? Abeant igitur stultæ argumentationes.*

## S. 127.

Discat quoque adversarius pessimus, hominem, præter corpus organicum, à terra formatum, etiam constare anima rationali, quam brutis nullo modo competere docet creationis Historia. Nam Gen. 1: 24, 25. exstat: *Producat terra animantia in species suas. Deusque hoc modo fecit animalia.* Sed v. 26. dicitur; *Deum fecisse hominem ad imaginem suam, eique inspirasse animam viventem.* Cap. 2: 7. Fit ergo heic oppositio inter creationem hominum & animalium, hæc produxit DEUS ex terra, nullamque animam viventem eis inspiravit: Illos autem, quoad corpus, etiam ex pulvere terræ formavit, sed simul eis dedit viventem animam, imagine Dei instructam. Unde clarissime sequitur, homini non autem brutis inesse animam rationalem. Sed ne Theologica urgeam contra omnis Theologiæ, totiusque Scripturæ Sacræ osorem & contemptorem; experientiam, quam solam

omnis cognitionis fundamentum habet, consulamus, atque sic proprio gladio jugulemus hunc adversarium. Canis domesticus, fidus & vigilans, omnes, domum intrantes, etiam fidissimos domini sui amicos, modo eos non agnoscat, allatrare, immo, morsu apprehendere solet, sibi vero cognitos patitur sine allatratu & morsu huc illucque per domum ire, & domino suo ejus bona eripere. Si rationem haberet canis, incognitum hostiliter non adgrederetur, quia incognitus est, sed eum potius, qui verum damnum domino inferre tentat. Dantur quidem animalia, quæ varia addiscere possunt artificia, sed nunquam nisi individualia, sensibusque percepta, & longa institutione eis proposita. Homines autem non individuorum modo, sed universalium quoque habent cognitionem, immo, multas scientias & artes proprio addiscere possunt marte, cognitionemque, brevi institutione acquisitum, multis augere inventis. Quod de brutis dici non posse multiplex & perpetua ostendit experientia. Illa ergo intellectus & rationis non sunt capacia, & ideo non rationales, sed tantum sensitivos habent appetitus, qui non magis liberi esse possunt, quam eorum sensationes externæ. Libera ergo voluntate carent, consequenter nec legis & obligationis, nec religionis sunt capacia. Ex  
fal-



falsissimo igitur fundamento impugnatur adversarius omnem religionem.

## §. 128.

Excipit De la Mettrie p. 60. *aliā non esse naturæ legem, quam quæ consistat in sensu interno, quo discimus id nos non debere facere, quod nolumus nobis fieri, & quæ ideo nihil aliud est, quam quidam horror & timor, speciei & individuo salutaris, cum forte bonis & vitæ aliorum parcimus, ut nobis parcat. Hæc lex, quia est sensus internus, pertinet ad imaginationem, & ideo non supponit educationem, nec revelationem, nec legislatorem, si volumus eam confundere cum legibus civilibus, prout ridicule faciunt Theologi. Hujus autem legis capacia sunt animantia bruta. Ergo, à religione, si quæ detur, non sunt excludenda.* R. En! stultissimam argumentationem, ob quam sibi potestatem deridendi Theologos arrogat Irrisor impudentissimus. Regulam Legis Nat. verissimam: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias*, falso explicat per sensum internum horrois & timoris, quo aliis parcimus, ut nobis parcat: nam si tali & non præstantiori lege totum contineretur naturæ jus, inde sequeretur, potentiorē, qui imbecilliorē non timet, eodem modo ac leonem, qui multa animalia viribus vincit, nulla teneri lege abstinendi à læsionibus inferiorum. En! mi-

miserrimam & bestiali vitæ simillimam mortalium conditionem, si præstantiores indolis non daretur Lex. Largior talem legem brutis competere & esse illis maxime familiarem, nec supponere legislatorem, quia nulla est. Sciat itaque calumniator, Theologos nunquam confundere leges Divinas cum legibus civilibus, sed illas ab his sollicitè distinguere. Sciat ergo non doctrinam Theologorum, sed suam, quæ tam absurdam fingit legem, esse risu dignissimam.

## §. 129.

Post has ineptias, maximas sane, & atterrimo notandas carbone, plus quam diabolico furore Divinam adgreditur Majestatem & omnem religionem evertere conatur, sequenti blasphemia, quæ V: tam constituat Objectionem: *Licet concederem existentiam Dei esse valde probabilem, quia tamen veritas existentiae est veritas Theoretica, illa nullum infert cultum, nullumque in praxi habet usum: Nam ut testatur experientia, religio non supponit probitatem & pietatem, nec atheismus eam excludit.* His præmissis, postquam ineptissime exclamaverit: *Quis scit, annon causa existentiae hominis sit in ipsa sua existentia, qui casu fortuito potuerunt orti esse, ut fungi, ita ut nesciamus, cur & quo modo?* Garrit, pro tranquillitate nostra esse perinde, siue materia fuerit æterna, siue creata, siue existat Deus, siue minus, stultum esse velle cognoscere id, quod nos non redderet feliciores, si



eo perveniremus. Religionem quoque eo nomine contemnendam blâterat, quod terriculamentis phantasticis ignis infernalis, spectrisque & fabulis, nihil reale habentibus, non indigeamus, quum conscientia unicuique sit sufficiens poena, tandem aliquando stimulos inferens, & tortores aliorum torquens. Taceo alias mordaces & asperas facetias, quas, pro more seculi, tot instar argumentorum, in omnem religionem pleno ore evomit stygius hic spiritus.

## S. 130.

Ut ad hæc respondeamus scommata, omnium primo detrahamus impiissimo homini larvam, qua se tegit, ut denudata ejus facies cuivis appareat: dicit quidem pag. 61. *Se non vocare in dubium existentiam entis supremi, sed se credere eam ut maxime probabilem.* Addit vero mox in eadem pagina, neminem scire posse, an non ratio existentiae hominis sit in ipso, ita ut casu ortus sit. Immo garrit pag. 63 totum universum casu esse natum, & si concederetur casum non fuisse rerum causam, inde tamen non sequi clamitat existere Deum, sed posse naturam esse rerum originem, quæ non sit casus, nec Deus. Vituperat quoque Feneloni, Nieuwentyti, Abbadie, Derhami aliorumque pro existentia Dei argumenta, eaque latrat esse nihil nisi tædiosas repetitiones & inania verba, quæ atheismum

num magis firment, quam evertant, immo tandem pag. 68. 69. exuta & ejurata omni verecundia, summam orbi promittit felicitatem, si totus fuerit atheus. Ex his clarissime patet, hunc auctorem esse atheum execrabilem, qui probabilem dicit Dei existentiam, ut sciolis tutius imponere posset.

## §. 131.

Hoc detecto, ad impias contra religionem instantias, sine difficultate respondetur: Non omnis de existentia veritas est pure theoretica, nam licet atheus, existentiam Dei negans, nullam credat cum notitia existentiae Dei conjunctam esse praxin, eam tamen esse maxime practicam in sectione thetica demonstravimus: Nam qui animo convictus est existere Deum, Dominum suum supremum justissimum, perfectissimumque, sine hesitatione colligit, se perfecte obligari ad debitum obsequium, probitati igitur & pietati studendum esse. Non ergo à qualitate cognitionis existentiae aliarum rerum ad indolem notitiae Dei valet argumentum: Nam à Deo toti dependemus, quod de aliis non valet rebus.

## §. 132.

Contendit deinde atheus, experientiam testari, religionem non inferre probitatem, nec



nec atheismum eam excludere. Sed hanc instantiam antea occupavimus (§. 87.), evicimusque atheismum necessario ducere ad corruptionem morum (§. 85.). Multiplex docet experientia plures atheorum, negato vero Deo, Bacchum, Cererem, & Venerem, ardentius colere solere, & carnalibus suis subjectos esse cupiditatibus. Sic variis in locis haud obscure significat hic atheus, se Venerem colere, *Divinis illius*, ut ipse loquitur, *delictis irremittum*. Ergo, quia solam audiendam esse contendit experientiam, ex illa, fluit, atheismum potius, quam religionem, excludere pietatem & virtutem.

## §. 133.

Stultum esse credere, cognitionem Dei nos perducere ad felicitatem, garrit hominum stultissimus, omnem felicitatem in terrenis suisque cupiditatibus quærens omniaque casu nata esse fingens. Ejuravit ergo omnem rationis usum: Nam quis sanæ mentis dicat dari effectum, sed nullam esse ejus causam? Hoc adeo est stultum, ut nulla indigeat confutatione. In unione cum Deo summam quærendam & sitam esse felicitatem agnoscunt saniores. Evicimus quoque in Parte Prænot. 1:a) miserimum esse atheorum statum. Stultum ergo, immo, stultissimum est, velle extra Deum

Deum in rebus terrenis, & cupiditatibus carnis suam querere felicitatem, quum illæ vanæ sint & fluxæ, omnique veræ felicitati inimicæ, quare non mirum est, eas nunquam posse satiare animum, suæ felicitati intentum. Si de hac re dubitas dubitandi vero nullam habes causam, attendas ad experientiam, &, nisi plane sis cæcus, percipies te post lautissimas epulas, jucundissimas cum aliis confabulationes, aliaque cupiditatibus carnis blandientia opera, reddi inquietum, sæpe etiam tædio eorum duci. Patet ergo in his rebus nullam veri nominis sitam esse felicitatem.

## §. 134.

Largior morsus & stimulos conscientiaæ esse pœnam, quavis pœna civili graviolem, tantum tamen abest, ut hinc fluat pœnarum infernalium everfio, ut potius contendamus illas simul includere immanem dolorem, nam opplebuntur damnati *Θλίψει καὶ στενοχωρία* Rom. 2: 9. sentientque vermem conscientiaæ sine intermissione rodentem Es. 66: 24. Demonstrabimus quoque in 4. Prænot. Parte æviternis & gravissimis post fata pœnis eos esse puniendos, qui Deum non agnoscunt, nec ad voluntatem Ejus se adcommodant.

## §. 135.



## §. 135.

Hoc impudentissimo profligato hoste, ad Epicuræos nos convertamus, quos ex alio fundamento irreligionarios esse antea ostendimus (§. 89. n. 1.). Horum contra religionem dubia, maximam partem petuntur ex negatione providentiæ Divinæ, quæ in Parte Prænot. 2. confutavimus. Restat ergo non nisi unum vel alterum, hoc loco solvendum.

I.) *Arbitrantur bonitati Divinæ contrariari, quod Deus homines obliget, ad actiones, non proprio arbitratu determinandas, sed ad quasdam committendas, alias vero omittendas.* R. Demonstravi antea (§. 23.) summam totius legis Naturalis absolvi conformatione nostrarum actionum cum perfectionibus Divinis. Sed quod perfectionibus Dei est congruum, id nequit bonitati Divinæ repugnare, quæ etiam inter perfectiones Divinas continetur. Immo, Deus, dando nobis legem, summam erga nos declaravit bonitatem. Consistit bonitas Dei relativa in intensissimo studio promovendi veram nostram perfectionem. Jam vero negari nequit Deum esse ens absolute perfectum, nihilque cum vera & absoluta perfectione convenire, nisi quod veri nominis possideat perfectionem, nam ut imperfectio cum

PARS III. L per-

perfectiōne consentiat, contradiotionem involvit in adjecto. Ergo, qvum Deus vi legis Nat. nos obliget ad conformationem nostrarum actionum cum perfectiōibus Divinis (§. 23.), evidens est, Deum dando nobis legem, suam erga nos declarasse bonitatem.

## §. 136.

II.). *Si justī & injustī, honestī & turpis certa darentur principia, lex Nat. apud omnes populos esset eadem. Docet autem historia, uni populo sæpe turpe esse, quod alter justum judicat. Ergo nulla ejusmodi dantur principia.* R. Legis Nat. universalitatem antea demonstravi. Quod si ergo quidam dentur adeo negligentes, ut legitimam non adhibeant, ad justum & injustum determinandum, attentionem, id æque est invalidum ad negandam legis & obligationis existentiam, ac si quis inde inferre vellet non dari v. gr. Geometriam, quia plurimi reperiuntur Geometriæ ignari. Falsum præterea est, dari populum adeo ferum, & ab omni humanitate remotum, ut communissima legis præcepta sibi non habeat cognita, nam eorum datur connata notitia, licet in conclusionibus inde formandis, quidem sæpe errare possint.

CAP.



CAP. III.  
IN QUO  
CONFUTANTUR IRRELIGIONARIJ  
INDIRECTI.

## §. 137.

**I**s in fugam conjectis, qui destinato animi consilio omnem religionem hostiliter adgrediuntur, certamen etiam cum iis instituamus, qui ejusmodi foveant opiniones, ex quibus religionis fluat everfio: Nam licet hi religionis ruinam non intendant forte, talia tamen tradunt, quæ directis Irreligionariis ad negandam religionem maxime infervirent, si sine justo examine relinquerentur intacta.

## §. 138.

In his confutandis observabimus ordinem in §. 91. & seqq. præscriptum. Quam ob rem primo loco nobis obviam venit *Lord Bolingbroke*, quem proximum post Irreligionarios directos occupare locum, antea (§. 92. n. 1.) notavimus. In præfatione ad secundam Prænot. partem illa rejecimus dubia, quibus hic Adversarius, una cum Chubbio, providentiam Dei specialem est adgressus, eoque deperditam Deistarum causam restaurare studuit. Hoc igitur loco discutienda restant, quibus contra mo-

ralia Dei attributa, bonitatem, iustitiam, sanctitatem, veracitatem &c. certissima illa religionis fulcra, hostilem declarare audet animum.

*Primo itaque sibi imaginatur attributa Dei moralia esse à Theologis sine omni fundamento excogitata: Nam alia, inquit, nobis non est via perveniendi ad cognitionem attributorum Divinorum, quam sollicita operam consideratione: Opera autem, à Deo facta, exhibent quidem nobis excellentissima Ejus potentiae & sapientiae specimina. Nullum ergo est dubium, quin hæc Deo competant attributa. Illa autem, quæ moralia dici solent, ut bonitatem & iustitiam, juxta notiones, quas nos de iis formare solemus, tantum abesse putat, ut opera Divina evincant, ut potius plerique fateri cogantur, plurima in mundo fieri, quæ cum bonitate & iustitia pugnent. Proponit hoc dubium Bolingbroke Vol. 5. opp. pag. 88. 311. 368. & alibi passim. Conf. Lelandi Epistolæ de scriptis Deisticis. Tom. 2. pag. 165. seqq. Sed Resp. 1.) Quamvis in parte Prænot. 1. ostensum sit non unicam esse existentiam Dei cognoscendi viam, quæ à posteriori & contemplatione operum ducitur, sed simul dari aliam, à notitia innata & idea entis Perfectissimi derivatam; ponamus tamen cum hoc adversario, præter priorem illam, nobis non esse*

fe



se alium, nos ergo non debere alias Deo assignare perfectiones, quam, quas, legitima concludendi ratione, ex productione operum colligere queamus, seu, ut alibi demonstravimus (§. 64. P. 1.), non alias, quam per quas intelligere queamus, cur hic mundus, cum animabus nostris, potius existat, quam non, cur hic & non alius. An vero hinc sequitur nullam Deo competere bonitatem nullamque iustitiam? Minime, nam contrarium antea evicimus, ostendimusque ex contemplatione rerum creatarum sequi, necessario existere Deum & esse ens absolute perfectum (§. 45. & 23. P. 1.), possidere intellectum infinitum (§. 66. 67. P. 1.) esse omniscium (§. 69. P. 1.), habere voluntatem absolute perfectam (§. 75. seqq. pag. 1.), esse omnisapientem (§. 96. P. 1.), omnipotentem (§. 99. P. 1.), summe bonum (§. 115. P. 1.) & iustum (§. 121. P. 1.). Itaque ex principio, quo Bolingbokus utitur, fuit adversæ ejus sententiæ everso. Præterea largitur ipse adversarius Vol. 3. pag. 253. 299. nos sub alia idea, quam entis Excellentissimi & absolute perfecti, non debere concipere Deum, & ideo Ei adscribendam esse omnem perfectionem veram, siue eam nobis repræsentare valeamus siue minus. Sibi ergo egregie contradicit hic adversarius,

denegans Deo bonitatem & iustitiam : Nemo enim sanæ mentis negare potest, has morales affectiones sub verarum perfectionum numero ita contineri, ut, his remotis, impie denegaretur Deo absoluta perfectio summaque excellentia. 2.) Operum Divinorum præstantissima est creatura rationalis, cui Deus non potuit non sanctissimam dare legem (§. 18.), qua Deus suam non modo bonitatem (§. 135.), sed & infinitam iustitiam declaravit (§. 22.). Ex operum ergo Divinorum contemplatione ad hæc Dei attributa legitime concluditur. 3.) Concedit adversarius Deo competere infinitam sapientiam & potentiam, sed infinita sapientia est scientia absolute summa eligendi media, finibus obtinendis maxime idonea, & fines ita sibi invicem subordinandi, ut alter sit medium alterius, omnes quoque plenissime maximaque harmonia tendant ad finem ultimum, qui est gloriæ Divinæ manifestatio (§. 95. & 94. P. 1.). Ejusmodi rerum subordinationi, quæ in producto opere elucet (§. 97. P. 1.), non daretur locus, nisi rebus ipsis tales inessent perfectiones, quibus laudati fines promoverentur & obtinerentur. Quam ob rem, quia omnis perfectio, rebus creatis inexistens, non potest non Deum agnoscere auctorem & datorem, sequitur sapientiam Dei, in opere producto



cto conspicuam, simul inferre exercitium bonitatis Divinæ, cujus est tribuere rebus veras perfectiones (§. 114. P. 1.). Eodem modo ex infinitæ Dei sapientiæ consideratione ad Ejus justitiam legitime concluditur: Deus enim vi suæ sapientiæ non potest non illa ordinare & eligere, quæ gloriæ Divinæ manifestationi exactissime conveniant. Gloria autem Dei est complexus infinitarum Ejus perfectionum (§. 90. P. 1.). Ergo Deus per sapientiam suam illa constanter agit, quæ sunt recta (§. 119. P. 1.). Deus itaque, quia sapiens, est simul justus (§. 120. P. 1.). Patet igitur adversarium sibi iterum contradicere, quando concedit Deo summam sapientiam, sed Ei denegat bonitatem & justitiam. Excipit vero, *ex hac deductione sequi attributa Dei moralia, non esse nisi diversa nomina, quibus sapientiam diversimode administratam designamus, non ergo esse realitates & perfectiones à sapientia distinctas.* R. Ineptissimam esse hanc argumentandi rationem vel tirones capient; ex Logicis edocti non ideo tolli discrimen inter principium concludendi ipsamque conclusionem, quia hæc ex illo derivatur. Realiter à se mutuo non distinguuntur attributa Divina; prohibet hoc simplicissima Dei natura; datur tamen inter illa formale discrimen, quod per diversos exhibetur con-

ceptus. Sic, quia scientia subordinandi media finibus alium nobis ficit conceptum, quam pronitas conferendi creaturis perfectiones, & quam voluntatis constantia agendi, quod rectum est; certum adest fundamentum sapientiam à bonitate & iustitia distinguendi.

*Secundo*, contra eadem Dei attributa ita argumentatur Bolingbokus. Vol. 5. pag. 88. 89. & alibi: *Ideas bonitatis, iustitiæ aliarumque virtutum moralium, format sibi homo ex consideratione sui ipsius & aliorum hominum. Ostendit vero vel leve nostrarum perfectionum examen, ab indole nostra ad naturam Divinam sine vitio non argumentari, quum, qui hoc sibi permissum crederet, impia Metamorphosi transformaret Deum in hominem. Errant ergo Theologi, adsignantes Deo attributa moralia.* R. Vera docent Theologi, errat vero Bolingbokus, nescitque quo modo à perfectionibus mentis humanæ ad infinitas DEI perfectiones argumentemur. Insunt menti varia prædicata, quorum alia, formali suo conceptu, limitationem dicunt, ut cognitio discursiva, affectus sensitivi &c. alia autem limitata quidem sunt, prout homini competunt, suo tamen conceptu veram involvunt realitatem & perfectionem, ut intellectus, voluntas & cet. Illa Deo repugnant, quia, re ipsa, non sunt nisi rea-



realitatum meræ limitationes: Hæc vero, liberata à limitatione, quæ eis in anima adhæret, Deo recte tribuuntur: Omnis enim in effectu realitas requirit certam in causa vim, illam producendi: Hoc modo effectus, intelligentia instructus, qualis est homo, à Deo nunquam produci posset, nisi Ipse esset ens intelligens (conf. §. 45. n. 3. P. 1.). Elucet ergo qua ratione à perfectionibus, quæ animæ nostræ insunt, ad similes, h. e. sub eodem generali conceptu comprehensas, sed infinitas Dei perfectiones, rectissime, & sine ullo vitio transformandi Deum in hominem, ut dicit adversarius, argumentemur. Quod de intelligentia est dictum, idem valet de bonitate, iustitia & veracitate. Hæ enim qualitates morales, prout nobis competunt, sunt quidem valde limitatæ, & cum maxima corruptione conjunctæ; suo tamen formali conceptu verarum perfectionum numero continentur, ideoque, sine gradibus positæ, Deo, enti absolute perfecto, rectissime tribuuntur: alioquin enim vera in effectu daretur perfectio, cui nihil in causa responderet. Quod absurdum. Excipit *Bolingbokus* Vol. 5. pag. 528. *Sapientiam & potentiam eam habere indolem, ut sine omni limite illas concipere valeamus; bonitatem vero & iustitiam ejus esse naturæ, ut in suo exerci-*

*tio & administratione non possint non esse certis cancellis circumscriptæ, & idcirco à nobis sine limitatione conceptæ desinant esse, quod sunt; has ergo non adscribendas esse Deo. R. Juxta hunc ratiocinandi modum Deo etiam deneganda esset & sapientia & potentia: Hæ enim Dei perfectiones, in suo exercitio spectatæ, non producunt opera infinita & illimitata, sed certis circumscripta cancellis; sic infinita Dei sapientia & potentia se exseruerunt creatione mundi omniumque creaturarum, quibus vera infinitudo repugnat. Quidquid ergo contra perfectiones Dei morales hac exceptione profert adversarius, id eodem modo contra sapientiam & potentiam esset objiciendum. Sed has Dei perfectiones negare non audet Bolingbrokus omni itaque destituitur fundamento morales Dei impugnandi perfectiones. Objecta attributorum Dei, quæ vocantur operativa, quia sunt à Deo diversa, non possunt non limitatam habere naturam, à qua si ad eandem attributorum conditionem cum adversario concluderetur, objecta operationis Divinæ cum ipso Deo impie confunderentur. Tandem observet opponens, conceptus bonitatis & justitiæ, quas in parte Prænot. prima proposuimus, esse sine omni limitatione, quam ob rem ibidem ostendimus, Deum juxta illos esse bonum & justum*



stum. Regerit idem adversarius Vol. 5. pag. 359. 362. *Nostri de perfectionibus Dei conceptus non possunt non esse valde incompleti & inadæquati: Nam non modo essentia Divina infinitum superat vim mentis humane, verum etiam nescimus quidem, an & qua ratione providentia Divina in omni casu agat perfectionibus Dei convenienter, & si vel maxime id in uno alterove casu intelligeremus, casus tamen istos inter se comparare nequimus, multo minus perfectionum Divinarum cum illis concordiam pervidere possumus. Nostrarum igitur non est virium, de perfectionibus Dei moralibus, & modo, quo in regendo mundo exerceantur, determinate scire & judicare, nam cum Paulo fateamur oportet, impervestigabiles esse Dei vias. R. Hæc omnia concedimus Adversario, salva assertione: quam defendimus: Nam quamvis Dei infinitas nostraque finitudo, non permittant, ut adæquate Deum cognoscamus, nostraque cognitio exhauriat ea, quæ in essentia Divina sunt; hinc tamen minime sequi nostros de attributis Divinis conceptus non esse veros & genuinos, in confutandis atheis occupati, antea demonstravimus (§. 132. P. 1.). Eadem ratione, licet lubentissimi largiamur, humani ingenii non esse, investigare modum, quo Deus in dato quovis casu regat mundum, quo etiam omnes & singuli casus*



sus cum perfectionibus Dei concilientur; inde tamen quis sanæ mentis inferat, providentiam dari nullam, nullas esse Dei perfectiones morales; hunc vel illum casum DEI attributis non convenire? Certe, si valeret hæc conclusio, ponendum simul esset, id omne non dari nec esse verum, quod noster intellectus capere nequit: nemo autem veram affirmabit hanc assertionem, nisi qui fingere velit nostrum intellectum esse adæquatam normam & mensuram veritatis. Quod quam absurdum sit, vel me tacente, quivis intelligit.

*Tertio.* Ita argumentatur idem adversarius Vol. 5. pag. 90. *Si virtutes hominum morales Deo tribuerentur, etiam Ei competerent magnanimitas & temperantia. Deus autem nulli infortunio & periculo subjectus esse potest, nec ullis regitur passionibus, sub aliqua norma dirigendis. Magnanimitatem ergo & temperantiam nemo nisi impius Deo assignaverit. Consequenter neque Ei tribuendæ sunt ceteræ virtutes morales.* R. 1.) Accurate loquendo nulla virtus hominum moralis Deo competit: Virtus enim, prout de homine dicitur, est constans animi propositum suas actiones conformandi ad legem. Involvit itaque a.) subjectionem sub lege superioris. β.) Veri nominis accidens infert, illud enim animi propositum non est de essentia animæ. Deus autem est legislator supremus (§. 12.), nul-



nullique ideo subjectus legi. Quodvis etiam veri nominis accidens Ei repugnat (§. 55. P. 1.). Ergo virtus moralis, juxta indolem, quam in nobis habet, Deo tribuere non licet. Nihilominus id, quod reale est in virtute morali Deo competit: Nam quamvis nullam habeat legem, cujus imperio subfit, est tamen sibi ipsi lex, actionum rectitudinem, non ex principio, à se diverso, sed conformitate cum suis perfectionibus aestimata, constantissime observans, eoque se esse infinite justum declarans. 2.) Notamus nullam esse concludendi rationem in allata objectione. Nam quamvis Deo repugnent magnanimitas & temperantia, quia suo formali conceptu, aliquam naturæ ejus, cui tribuuntur, supponunt imperfectiorem; an inde sequitur, alias perfectiones morales, ejusmodi non supponentes corruptionem, etiam Deo esse denegandas? Non arbitror: Nam si conclusio illa esset legitima, ex eodem fundamento affirmaretur, Deum carere omni cognitione rerum, omnique sapientia quia Ei tribui nequit cognitio discursiva, qualem nos habemus. Illegitimum vero esse hunc concludendi modum facilis concedet noster adversarius, infinitam cognitionem & sapientiam, Deo recte adsignans. Simul ergo fateatur necesse est, suam argumentandi rationem, huic ex asse similem, omni

omni carere fundamento & esse maxime difformem, nec talem, cui fiducia quid, pro mala sua causa, tribuere queat.

*Quarto*, solutis verecundiae legibus, ut absurdissimam traducit, fundamentalem legis Naturae propositionem, qua ad Dei perfectiones jubemur nostras conformare actiones, Vol. 5. pag. 44. 65. Dicit enim hanc conformationem esse 1.) *Impossibilem*, 2.) *Excitare ambitionem*, seu, ut per contemptum loqui amat, *religiosam superbiam*, ob quam crederet homo se adsimilari Deo (ibid. pag. 67.). 3.) *Esse injustam & iniquam*, quia ad imitationem Dei, Qui suo sole illuminat justum & injustum, eodemque modo illius ac hujus agrum aqua pluviali irrigat, deberemus nullum discrimen inter homines facere, omnesque eodem amoris gradu amplecti. Quam ob rem doctrinam sanctissimi Salvatoris Matth. 5: 45, 48. impudentissime adgreditur, cit. loco p. 63. Resp. Ad hanc calumniam non difficilis est responsio. Nam 1.) Quando Lex Naturae jubet nos conformare actiones ad perfectiones Divinas, non talem requirit conformationem, qua Deo redderemur similes, nostraque natura in Divinam commutaretur; hanc enim esse absolute impossibilem contendimus; sed talem postulat, qua nostrarum omnium actionum motiva petamus ex consideratione perfectionum Di-



vinarum. 2.) Hæc conformatio non excitat ambitionem, sed potius animum maxime submissum: Homo enim decenti attentione considerans supremam Dei excellentiam, summumque amorem, quo totum genus humanum æque amplectitur, suam vero omnimodam ab Illo dependentiam, non potest non Divinam majestatem super omnia honorare, & proximum æque, ac se ipsum, amare, omnique ordini, à Deo constituto, se submittere. 3.). In Deum ergo, Ejusque sanctissimam legem, plus quam injuriosus est noster adversarius, animo fingens laudatam conformationem, nos deducturam esse ad actiones injustas & iniquas: Ex iis enim, quæ in sectione thetica demonstravimus, clarissime sequitur, dictam conformationem nos permovere ad Deum, super omnia, & proximum, quem ad modum nos ipsos, amandum (S. 54. 70. 71.). Sed si hoc injustum & iniquum esset, justitiæ & æquitati congruum judicaretur odium in Deum & proximum. En! dementiam & blasphemiam maximam. Verba Salvatoris Sanctissimi, ab adversario in finistrum sensum traducta, ostendunt Deum juxta universalis suæ providentiæ leges omnibus & singulis benefacere hominibus, justis & injustis, quamdiu hanc vivunt vitam; nos ergo debere in hoc imitari Deum,  
ut

ut amemus nostros inimicos, eis benedicamus, immo beneficia in eos conferamus. An hoc injustum & iniquum? Absit quam longissime: Contrarium enim evincit vel ipsa ratio, ostendens omnes, sine discrimine, amandos esse homines (§. 71.). Ceterum ineptias, quas ex verbis Christi fluere, sibi imaginatur Bolingbokus, data opera tollere & delere studebimus in 4. Prænot. parte, ubi eadem Scripturæ loca contra hunc adversarium vindicabuntur.

§. 139.

*Humius* in Libro Anglicano, cui titulus: Philosoph. Essays. vid. Lelandi Epistolæ T. 2. p. 33. & seqq. in eo maxime est occupatus, ut justitiam Dei vindicativam & remunerativam neget. Summa totius, quod adfert, argumenti, hæc est: *Fundamentum omnis nostræ argumentationis est illud, quod ab effectu ad causam ducitur. Sed in hoc stabiliendo ultra experientiam progredi nequimus, beneficio cujus ab uno simili ad aliud colligere licet. Ergo ad qualitates causæ ab effectu argumentanturi, plures & majores perfectiones causæ tribui nequeunt, quam quas vel effectus requirit, experientia observatus, vel ex alia experientia novimus aliis similibus inesse causis. Deus est ens, excludens omne aliud, ejusdem secum naturæ, & aliorum mundorum, præter hunc presentem, nullas habemus ideas. Non ergo aliæ & alio gradu tribuendæ sunt Deo perfectiones, quam quæ*



per experientiam actionum Dei in hoc mundo de-  
tegantur. In hoc autem mundo nullum datur  
vestigium remunerantis & punientis Dei justitiæ.  
Nullum itaque habemus fundamentum, Deo tri-  
buendi ullam justitiam. R. Magna audacia  
victoriam sibi promittit hic adversarius,  
qui tamen tota sua opera nihil aliud efficit,  
quam ut gravem ignorantiam non modo  
in Theologicis, verum etiam Philosophicis  
prodat. Nam 1.) πρώτον ψευδος totius argu-  
mentationis in eo consistit, quod credat  
mensuram principii activi causæ determi-  
nandam esse ex actione, qua effectus pro-  
ducitur; major ergo & præstantior vis  
non sit tribuenda causæ, quam dicta re-  
quirat actio. Sed utut hoc locum habeat  
in causis physicis & necessariis, non ta-  
men valet de causis liberis, quæ non  
semper ad summam virium agunt: Docet  
enim experientia sæpe errare eum, qui ex  
hac vel illa meditatione, ab hoc vel isto  
homine literis mandata, vellet mensuram  
inire totius, quam possidet, res cognosce-  
ndi potentiæ. Excipit Adversarius, ab ho-  
mine ad Deum non esse argumentandum, quia  
Hic in tantum superat illum, ut inter utrum-  
que nulla sit similitudo. R. Infinita, quæ  
inter Deum & hominem datur, distantia id  
efficit, ut perfectiones hujus eodem gradu  
tribui nequeant Illi, non vero ut omnis in-  
PARS III. M ter

ter Deum & hominem tollatur similitudo : Mens enim humana est spiritus intelligens & libere volens. Deus est etiam spiritus, intelligens & libere volens, quod in Parte 1. Prænot. demonstravi, licet spiritualitas, intellectio, & voluntas Dei sint infinite perfectiores similibus in nostra anima attributis. Datur ergo similitudo, ob quam à vera perfectione animæ ad similem, sed infinitam, in Deo recte colligimus (vid. §. 138. Respons. ad Obj. 2.). Quivis vero facile intelligit, perfectiorem esse causam, quæ non opus habet, totam suam vim actione exhaurire, quam illam, quæ hac necessitatis lege agere tenetur. Recte ergo à dicta animæ perfectione, qua res materiales & physicas longe superat, ad similem, sed infinitam, in Deo argumentamur. 2.). Si locum haberet fundamentum, ab adversario positum, inde etiam sequeretur infinitam sapientiam & potentiam Deo non esse assignandam: Nulla enim pars mundi, à Deo producta, potest esse infiniti valoris. Si ergo non major vis Deo tribueretur, quam qualem ex ipsa objecti, seu, effectus indole, per experientiam determinare possumus, inde fluere Deo non competere infinitam potentiam & sapientiam. Itaque, quum Deus non infinite sapiens & potens sit non - Deus, patet opponentis Philo-



Iosophandi rationem esse atheisticam & ideo absurdissimam. 3.) Antea (§. 62. P. 2.) demonstravimus non omnino desiderari iustitiæ Dei & punientis & remunerantis exempla, sed splendidissima lucē in hujus mundi regimine elucere: Simul evicimus ex piorum terrena infelicitate & impiorum prospera fortuna ad negationem optimæ & iustissimæ Dei providentiæ, falsissimè à Deistis concludi (§. 58. seqq. P. 2.). Necessarium ergo non est, plura pro confutando hoc adversario addere, qui Deistarum tela, nimis obtusa facere voluit sua.

## §. 146.

His confutatis, cum iis congregiamus oportet, qui cum Socinianis Dei omnipotentiam, scientiam infinitam, & iustitiam vindicativam vel negant, vel in dubium vocant.

Hi *Primo* ita objiciunt. Dei potentia nequit esse infinita, quia non potest factum reddere infectum; stupratam virginem puram castamque constituere; producere creaturam infinites perfectiorem & meliorem ea, quam fecit; alium producere Deum, & alia ejusmodi. Credunt ergo adversarii potentiam DEI infinitam dici, non quod nullas habeat fines, sed quod creaturarum excedat potentiam, ita ut ejus limites mentis nostra ad-

*sequi non possimus.* Resp. Ut hanc objectionem digne solvamus, notetur 1.) *Absolute impossibilia non esse omnipotentiae Divinae objecta, inde tamen nihil detrahi Ejus perfectioni:* Nam absolute impossibile prædicatis constituitur, quorum alterum destruit alterum (§. 128. Syst. Metaph.). Quaecunque ergo potentia ad actum perduceret absolute impossibilia, illa, quando se ad agendum adplicaret, in una eademque actione, qua ejusmodi efficeret objectum, partialia ederet actionis momenta, quorum alterum destrueret, quod efficit alterum, & tamen ex destructo & non-destructo totum illud objectum existeret (per hypothesin.). Quam ob rem, quia sine vi agendi nulla est actio (§. 1083. Syst. Metaph.), in ente, quod ejusmodi exerceret potentiam, contradictoriae darentur vires. Sed sic ens illud esset absolute impossibile quid (§. 128. Syst. Met.), immo non-ens (§. 259. c. 1.), cujus nulla datur potentia (§. 264. c. 1.). Nullius igitur est potentiae ad actum perducere posse absolute impossibilia, omni itaque careret Deus potentia, si posset ejusmodi producere objecta: Nulla tamen ideo laborat impotentia: Quodcunque enim potentiam omnis agentis tollit, illud, si ab eo produci posse negatur, nullam eidem impotentiam tribuit, nam si tribueret, aliquid



cujus potentia esset, posse agere id, quod potentiam destruit (quod absurdum): sed facere absolute impossibilia potentiam omnis agentis destruit (per demonstr.). Ergo thesis, qua negatur, Deum posse actualia reddere absolute impossibilia, nullam Deo infert impotentiam. Non est in potentia DEI defectus, est in ipso objecto, quod infinitam DEI activitatem admittere nequit. 2.) Observetur, singula, quæ pro limitanda DEI potentia objectant adversarii, esse absolute impossibilia: Nam factum infectum aliter fieri nequit, quam si constituatur, factum esse simul factum & simul non factum; virginem esse stupratam & simul non stupratam; neque creatura se ipsa infinites perfectior fieri potest, nisi in creatorem mutetur; nec aliter produci potest, quam si abeat in creaturam. Nemo non videt singula hæc directe incurere in principium contradictionis, & ideo esse absolute impossibilia, consequenter nec ullius potentia objecta, nec eam ullo modo limitare. Excipiunt adversarii: *Deus est absolute possibile quid, & ideo ab intellectu Divino concipitur, quo Deus se ipsum cognoscit. Intellegit etiam infinita, quæ non potest producere. Ergo intellectus Dei excedit Ejus potentiam. Hec igitur non est infinita.* R. Singula Dei attributa sunt ex asse harmonica, nec unum

excedit alterum. Ergo Ejus intellectus & potentia eandem habent infinitatem. Deus cognoscit se ipsum, largior, sed de eo nulla est controversia; quæritur, an Deus possit producere alium Deum, adeoque an detur conceptus Dei producibilis? Sed hic conceptus manifestam involvit contradictionem, & re ipsa est nullus. Ergo is neque est intellectus, neque potentia objectum. Numerum possibilium infinitum non producit Deus ex defectu non omnipotentia, quæ se ad omne possibile extendit, sed ex defectu rei, quia ut res numero infinito existerent, infinita Dei sapientia non erat conveniens, quia etiam mundus infinitus contradictionem involvit. Ergo intellectus Dei ad plura se non extendit objecta, quam potentia. Consequenter potentia Divina sua relinquenda est infinitas.

Quando heic dicimus abs. impossibilia non esse potentia Divina objecta, cavendum sollicitè, ne impossibilia metiamur ex confusa nostra cognitione & angustis limitati intellectus terminis. Sic puram & castam virginem parere, ignem injecta corpora combustibilia non comburere, & similia, ei videntur absolute impossibilia, qui confusam sequitur cognitionem, nescitque distinguere inter Physicum & absolute impossibile. Nihil prius ab objectis omnipotentia Divina est removendum, quam ex indubitatis principiis accurate demonstrare valeamus, illud in se & sua natura esse contradictorium.

§. 141.



## §. 141.

2:do.) *Infinitæ Dei potentia officere putant, quod Deus non possit abnegare seipsum 2. Tim. 2: 13. mentiri Ebr. 6: 18. peccare & peccatis delectari. Bl. 1. Sciendum est illa, quæ perfectionibus Dei repugnant, non esse omnipotentia Divina objecta.* Deus enim suam potentiam non exercet nisi volendo, unde per immediatam consequentiam elicitur, in eo non posse Deum suam exercere potentiam, quod velle nequit. Quidquid itaque velle non potest, id non potest facere existens. Nequit autem DEUS velle mala, i. e. ea, quæ perfectionibus Ejus repugnant. Ergo nec possunt illa esse omnipotentia Divina objecta. Neque Scriptura Sacra aliam omnipotentia Dei exhibet notionem: Docet enim Eum efficere posse quodcunque velit Ps. 115: 3. Matth. 8: 2. 26: 39, 42. Omne possibile, quod est potentia generale objectum, considerandum est ratione rei & effectoris: Nam potest quid esse in se possibile, quod tamen in relatione ad illud agens possibile non est. Sic actus cogitandi in se possibilis est, sed non est possibilis materia. Duplici itaque modo determinatur omnipotentia Divina objectum, primum in se, quo sensu debet esse absolute possibile, deinde quoad perfectiones Divinas, quo sensu eam debet habere naturam,

ut Deus id velle possit. Velle autem nequit id, quod cum Ejus perfectionibus pugnat. Ergo potentia Dei ad ejusmodi objecta extendi non debet, nisi quis putaret, aut in Dei voluntate esse defectum, aut pugnam dari inter Ejus voluntatem & potentiam. Sed neutrum cum summa Dei perfectione consistere potest. Verissima ergo est nostra assertio & Scripturæ Sacræ conformis. 2.) Itaque, quum abnegare seipsum, mentiri, peccare, peccatis delectari, similia sanctissimæ & perfectissimæ Dei voluntati absolute repugnent; non sunt omnipotentia Divinæ objecta. 3.) Hinc tamen non sequitur, dari in Deo impotentiam: Nam quæ hoc loco è potentia Divinæ objectis excluduntur, sunt meræ privationes & negationes, quæ nullam causam efficientem, & per consequens, nullam potentiam agendi, ut existant, requirunt, neque existere possunt nisi ab ente, quod in intelligendo, & volendo deficiat, & quatenus deficiat. Vident ergo adversarii, nisi hæc removeantur, potentiam Dei fore deficientem. Consequenter simul vident, horum remotiorem, nullam in Deo arguere impotentiam, sed potius potentiam perfectissimam: Non enim ex majori numero eorum quæ agi possunt, quorumcunque & quocunque modo, sed majori realium & positivorum, quæ effici



effici possunt, numero pendet major potentiae perfectio. Ergo perfectissima est, quae potest praestare omnia positiva, exclusis omnibus negativis & privativis. Conf. §. 753. Syft. Metaph.

## §. 142.

In infinitam Dei scientiam, omnis religionis excellentissimum palladium, multis nominibus impingunt iidem adversarii. Qui, ut successivam & discursivam esse Dei cognitionem probent, Obijciunt 1:o.) *Dantur in rebus creatis pugnantes & oppositae affectiones, quarum representationes eo minus possunt esse in intellectu Dei simul, quod certius unam excludere alteram.* 2:o.) Fateor dari oppositas & pugnantes rerum creatarum affectiones, sed inde nihil sequitur magis, quam ideas earum etiam inter se pugnare, ita ut altera alteram non contineat, minime vero has ideas non posse simul intellectui inesse. Largior mentem humanam vix & ne vix quidem posse simul concipere simplex & compositum, inde tamen ad similem intellectus infiniti conditionem nulla valet argumentatio.

2:o.) *Quia datur concludendi fundamentum, datur veritatum ordo objectivus, in quo altera veritas ex altera sequitur. Sed rebus conformis est Dei cognitio. Ergo in illa aliud primum,*

M 5

num,

*num, aliud succedens.* R. Deus utique cognoscit veritatem primam, ut primam, i. e. seipsum, sed simultaneo, actu cognoscit omnes possibiles, cum illa prima connexas. Datur successivus in rebus existentibus ordo, sed illum ut cognitioni Dei tribuas, non sequitur ex cognitionis Divinæ conformitate cum rebus, quæ id solum infert, Deum sibi repræsentare omnes rerum relationes, non autem hanc repræsentationem in ipso Deo esse successivam. Cavendum quam maxime, ne successio rerum creaturarum Deo immutabili temere adfingatur.

3:0.) *Aut intellectus Divinus mutationes rerum, extra se futuras, sibi repræsentat ante, aut in, aut post mutationem. Si post mutationem demum, datur in intellectu Divino successio; si in mutatione, iterum est in illo successio; si ante mutationem, tum illam mutationem sibi repræsentat, aut ut futuram, aut ut actualem, si prius, iterum locum habet successio, quoniam facta mutatione actuali, extra Deum, accidit in Eo repræsentatio mutationis actualis, antea tantum possibilis; si vero mutationes illas futuras sibi repræsentat ut actuales, repræsentationes Ejus sunt falsæ.* R. Deus simplicissimo actu sibi repræsentat omnes creaturarum mutationes, præsentés, præteritas, futuras. Sed unicus ille actus diversas admittit relationes, creaturarum quidem respondentés vicissitudinibus; sed Deo interne nullam adferentes mutationem.

Ni-



Nimirum Deus omnes creaturarum successiones sibi simul repræsentat, & quidem distinctissime, novit quoque exactissime omnes meas mutationes, quarum simul perspicit cum successione rerum, qua tempus determinatur, connexionem. Atque sic mutationem, crastina luce mihi futuram, diversam videt Deus à mutatione, quæ hodie mihi præsens est, ita tamen, ut visio hæc DEI hodie & in crastinum eadem maneat, cum diversa tantum simplicissimæ visionis relatione. Successivo rerum, extra nos positarum, ordini, quo tempus in præsens, præteritum & futurum determinamus, idearum, quæ in nobis inde excitantur, respondet vicissitudo. Sed in æterna Dei scientia, nulla est successio, nullus, à præterito per præsens ad futurum, momentorum fluxus, nulla idearum successiva series, sed unus & simultaneus omnium intuitus (vid. §. 67. P. I.). Ergo omne tempus & tota rerum series, quantacunque sit, semper præsens Deo obversatur, idealiter scilicet, non autem realiter, nam sic ab æterno exstitisset mundus cum omni temporis differentia, quod maxime absurdum. Excipiunt: *Præsens hæc objectorum contemplatio contradictoria videtur, cum fieri non possit, ut id, quod factum est, fiat infectum, aut præteritum vel futurum in instantia sua consideretur.*

tur. Resp. Diversus hic rerum status, indeque facta denominatio, res ipsas, extra Deum positas, non autem Deum, Ejusque de rebus cognitionem adficit: Deo enim tota rerum series præsentissima repræsentatur. Quo ipso non existimandum est, veritates rerum in scientia Dei confundi, aut nullum discrimen temporis, utpote in re ipsa fundatum, à Deo observari. Hoc contrariatur iis, quæ antea demonstravimus: Nam in idea Dei objecta, etiam ut nude possibile, certo ordine antecessionis & consecutionis per scientiam simplicis intelligentiæ repræsentantur. Decretum Divinum, quod scientia visionis eatenus supponit, quatenus ejus objecta per decretum existunt, hunc ordinem confirmavit. Concursus Dei, ad executionem decreti pertinens, non est actus Dei immanens, sed transiens & successive exercetur, non ob aliquam Dei successionem, sed ob successivam rerum creatarum existentiam. Hujus concursus, in sua forma considerati, objecta, non sunt præterita & futura, sed præsentia. Adeoque hæc ab illis actu discernit Deus. Quam ob rem, quum Deus seipsum adæquatissime cognoscat, hunc suum actum haud ignorat. Consequenter scientia visionis præterita spectat, ut præterita, præsentia ut præsentia, futura ut futura. Successio esse & concipi potest in ob.



objecto, five, termino scientiæ, licet nulla sit in sciente, seu, actu cognitionis: dum enim nos præteritorum & futurorum ideas in animo præsentibus sistimus, easque intuemur, illa non ideo desinunt in suo ordine esse præterita & futura, neque ideo nos hæc cum illis confundimus. Sed hoc ipsum modo, infinites eminentiori, Deo competit, Qui se ipsum intuens, ideam simul & ejus objectum præsentissime videt. Non ergo à præsentialitate, uti barbare dici solet, ideali ad realem valet conclusio.

Neque ad inferendam discursivam in Deo cognitionem, quidquam juvat adversarios, quod Deus intelligat ratiocinationes humanas, nam eas non intelligit ratiocinando, sed intuendo: oculis enim Dei, h. e. intuitivæ Ejus cognitioni, omnia sunt manifesta & resupinata Ebr. 4: 13. Neque aliquid præsidii in eo habent, quod Deus in Sacris Literis ratiocinia proposuerit, seu, ratiocinatus fuerit: Nam id fecit non sui, sed nostri causâ, qui ob finitudinem mentis nostræ aliter, quam discurrendo ad ignotæ veritatis notitiam, quæ plenam generet convictionem, pervenire non possumus.

S. 143.

Etsi Apostolus clare satis Rom. 11: 33.  
Deo tribuat profundissimas cognitionis di-  
vi-

vitias, h. e. scientiam ad omne scibile extendendam; adeo tamen audaces sunt adversarii, ut hoc negare non erubescant. Inter alia provocant ad dictum Gen. 22:12. unde constare putant, Deum ex effectu demum, quid factum sit, cognoscere, & ideo discere nova, consequenter non esse omniscium. Resp. Agit citatus locus de prohibita ab Angelo Jehovæ, h. e. Filio Dei, immolatione filii, quam Abrahamo antea, mandavit, eum tentaturus. In diversa abeunt hunc locum explicare studentes. Quidam cum *Augustino* explicant verba: *Cognovi, seu, scio iam te timere Deum*, per cognitum feci. scil. satanæ & gentibus, te calumniantibus. Alii cum *Calovio*, in Comment. in. h. l. ἀνδρα-πονάδων heic faciunt, quia in tota hac tentatione se Deus ita gessit, ac si, humano more, experimento accepisset fidem & obsequium Abrahami. Alii cum *Schmidio* in h. l. dicunt Deum ab æterno quidem sci- visse, quid hoc in negotio factururus esset Abrahamus, si id mandaturus ipsi esset, non autem sciuisse, quod id fecisset, quia revera nondum fecerat, ut sensus sit: *Ipsò opere fecisti, ut sciam opus tuum, & ex opere tuo factò, quod timeas Deum*. Quicunque horum modorum, explicandi citatum locum, placeat, nihil detrimenti patitur Dei omni- scientia.

2:0.)



2:0.) Objiciunt, cognitionem, quam Deus de se ipso habet, infinitam, excludere rerum aliarum scientiam, nam si non excluderet, infinito aliquid adderetur. R. Infinita, quam Deus de se ipso habet, cognitio, essentialiter simul includit rerum aliarum scientiam: Deus enim, cognoscendo suum intellectum, cognoscit omnes possibilitates, cognoscendo suam potentiam, perspicit omnia existibilia, & cognoscendo suum decretum, cognoscit omnia actualia, seu, quæ ex numero possibilium in numerum actualium sunt relata. Ergo scientia rerum aliarum infinitæ, quam Deus de se ipso possidet, cognitioni, nihil accedit.

## S. 144.

Tandem ut spei & fiducia, in Deo collocandæ, certissimum tollant fundamentum, præscientiæ Divinæ adgrediuntur infallibilitatem. Objiciunt igitur 1:0). *Futura contingentia, seu, liberæ spirituum finitorum determinationes, possunt esse & non esse, adeoque non sunt certo futuræ, consequenter à Deo non possunt certo præsciri.* Resp. Omne futurum est scibile, ergo habet scibilitatis argumentum, ergo est determinata veritas, ergo à Deo certe præscitur. Præterea, liberæ nostræ actiones, sunt quidem ab omni necessitate immunes, nihilo tamen  
mi-

minus determinatam habent veritatem: Nam, teste experientia, omnia animæ decreta ex motivis, h. e. repræsentatione boni vel mali, suscipiuntur. Ipsæ vero repræsentationes & cognitiones nostræ, vel ex aliis præcedaneis in ipsa mente, & ultimato ex sensatione interna derivantur, vel ex activitate corporis in mentem, profluunt. Ergo futura contingentia, seu, liberæ nostræ determinations, determinatam habent certitudinem, & ideo ab intellectu infinito, qui causas, per quas determinantur, plene intuetur, certissime præsciuntur.

2.º) Si datur præscientia futurorum contingentium, illa aut est sine ratione sufficiente, aut cum ratione. Prius est absurdum. Neque locus datur posteriori, nam si futura ista haberent rationem sufficientem, daretur illa vel in ipsis rebus & actionibus futuris, vel in Deo: Non illud, quia futura non existunt, & ideo non possunt agere in intellectum Divinum; Neque hoc, quia Deus esset hoc modo per essentiam suam determinatus ad illas sibi repræsentandas, quod probabile non est. Ergo non datur futurorum contingentium præscientia. R. Datur ratio sufficiens futurorum contingentium in rebus ipsis & in Deo simul, in illis, quatenus cognoscibiles, & præscibiles sunt, & determinatam habent veritatem; in Deo, quatenus vi suæ essentiae cognoscit omnia possibilea adæquatissime, & vi decreti hanc rerum seriem præ alia possibili produxit. Statuere vero Deum  
ideo



ideo non cognoscere futura, quia non existunt, nec idcirco in intellectum Divinum agere possunt, est idem, ac denegare Deo omnium possibilium cognitionem, neutrum enim eorum in intellectum Divinum agit. Hoc autem sufficientiæ intellectus Divini è diametro adversatur, eamque ob causam est absurdissimum. Quid? quod, si universaliter vera esset hypothesis, qua putatur nihil à quoquam cognosci posse, nisi quod agat in ejus intellectum, neque homo posset cognoscere mere possible, ullamque futurorum habere prænotionem. Quod manifesta repugnat experientiæ.

3.o.) Si daretur futurorum præscientia in Deo, illa faceret Deum peccati reum. Nam si Titius certo prævidet mortem Sempronii innocentis, nec, cum posset, eam impedit, peccati est reus. Hoc autem de Deo dicere nefas esto. Dispar ratio est Dei ac Titii, hic, dum potest, obligatur impedire eadem innocentis: Deus autem, etsi possit, non tamen obligatur, sed ob justissimam rationem, sine ulla peccati macula, permittit haud raro.

4.o.) Si Deus esset præsciens, ob summam suam sapientiam, non tam multa superflua & inutilia fecisset, quæ tamen observantur in innumera multitudine seminum, in regno animali & vegetabili pereuntium. Resp. Etsi non negemus multa perire semina, & propagationi speciei

PARS III.

N

non

non infervire, inde tamen non sequitur illa esse inutilia & superflua: Nam præter unam utilitatem, quam nos putamus unicam, possunt dari aliæ plures, nobis nondum perspectæ. Nemo nescit multas hoc tempore detectas esse plantas, generi humano & animali utilissimas, quarum usum ignoravit antiquitas. Ergo ex nostra de usibus rerum ignorantia, ad eas negandas, male concluditur. His accedit, neminem posse plenam de usibus rerum habere notitiam, nisi qui totius Systematis mundani nexum intueatur. Sed hæc cognitio soli Deo est propria. Desinant ergo homines res, in mundo obvias judicare inutiles; potius cogitent, suam cognitionem, valde exiguan, tantæ perspicaciæ exercendæ nunquam suffecturam.

5:o.) *Per sapientiam Deus nihil facit frustra, si ergo simul esset præsciens, non tantis moliminibus monitisque promovere conaretur peccatorem, quem prænosset fore immorigerum.* Deus, ut sapiens, facit, quantum in se est, licet se effectui, ob morosam hominum resistantiam, non potiturum præcipiat. Nam si Deus hoc non faceret, posset immorigeri, licet immerito, sub aliquo tamen specie, culpam in Deum derivare, cujus tamen nunc, ne minutissimam quidem, præ se ferre possunt speciem. Taceo laudatas Dei



Dei admonitiones ad maiorem pietatis & constantiæ ardorem excitare pœnitentes & fideles, & ideo non esse frustraneas.

6:0.) *Per admissam in Deo futurorum certam & determinatam cognitionem multa Scripturæ Sacræ loca dextre explicari non posse putant. Qualia esse arbitrantur, a.)* Gen. 6: 6. ubi dicitur Deum pœnituisse, quod homines fecerit. *b.)* Gen. 22: 12. ubi affirmatur Deum explorasse obedientiam Abrahami. *c.)* Num. 14: 23. ubi Deus ait se iurasse, quod Israëlitas in terram Cananæam esset introducturus, & tamen propter eorum peccata, se id facturum non esse *d.)* Gen. 18: 21. ubi Deus dicit se descendisse, ut exploraret an Sodomitæ fecerint secundum clamorem, qui ad se venerit. *e.)* Es. 5: 4. ubi Deus dicit se exspectasse bonas uvas ex vinea sua, contraria tamen esse expertum. *f.)* Exod. 16: 4. ubi Deus ait se pane, demisso ex cœlo, explorare velle Israëlitarum obedientiam. Similia traduntur Deut. 8: 2. Resp. ad *a.)* Eum esse pœnitentis characterem quivis facile concedit, ut factum reddere malit infectum. Pœnitens ergo id, quod antea volebat, nunc non vult. DEI autem voluntas nunquam mutatur, neque fieri potest, ut, quod antea volebat, nunc nolit (§. 81. P. 1.). Ergo veri nominis

N 2

pœni-

pœnitentia Deo repugnat, quod expressis verbis legitur Num. 23: 8. 1. Sam. 15: 29. Quando itaque Scriptura in citato ab adversariis loco, nec non 1. Sam. 15: 11. Amos. 7: 36. pœnitentiam Deo tribuit, facit id Metaphorice & secundum similitudinem, Deumque eo duntaxat sensu pœnituisse dicit, quod ad modum pœnitentis se habuerit, volens dissipare, quod prius fecerat: In pœnitentia enim factum infectum optare solent homines. Pœnitentia itaque Deo in Scripturis adsignata, nihil denotat aliud, quam voluntatem Dei, justo iudicio, destruendi id, quod Deus improbat. Atque hoc sensu nihil involvit imperfectionis, nec infinitæ DEI præscientiæ aliquid derogat. Ad *b.*) modo est responsum § 144. Ad *c.*) Promissiones Divinæ de hominum felicitate non sunt absolutæ, sed semper hypotheticæ, sub conditione fidei & obedientiæ. Ad *d.*) ἀντισταθίζω ad exemplum iudicium, quos cognoscere prius oportet, quam decernere, dicitur DEUM descendisse ad cognoscendum. Ad *e.*) Expectavit Deus factum non ipsum, cuius contrarium futurum esse novit, sed ius expectandi frustratum significat. Frustrata est non DEI expectatio, sed Divinum expectandi ius. Ad *f.*) eodem fere modo ac ad *b.* In genere



nere observandum est tritum Athanasii, quæ  
*ἐν ᾧ πάντα τὰ ὄντα* de Deo dicuntur, *ὅθεν πάντα*  
 esse intelligenda.

## §. 145.

Præter Socinianos solent etiam Fanatici  
 cum suo Dippelio præscientiæ Divinæ absolu-  
 tam perfectionem in dubium vocare. Præ-  
 fertim urgent, Deum ante lapsum creatu-  
 rarum non præcivisse malum: Nam, in-  
 quunt, si Deus ante lapsum præcivisset ma-  
 lum, adfuisse ante hunc lapsum in intellectu  
 Divino mali idea. Ergo, quum in conceptu  
 rei ejus essentia consistat, essentiam mali Deus  
 formasset, quod æque vitiosum est, ac si statu-  
 eretur Deum produxisse mala. R. 1.) Si idea  
 mali corrumperet Sanctissimum Numen, &  
 peccati reum faceret, non magis post, quam  
 ante lapsum, ideam mali haberet Deus. Si-  
 bi ipsi ergo contradicit Dippelius, conce-  
 dens Deo cognitionem mali post lapsum,  
 non autem ante lapsum. 2.) Malum mora-  
 le, concretive spectatum, consistit in actu  
 voluntatis, contra legem determinato. Ergo  
 cognitio seu, idea mali, non voluntatis,  
 sed intellectus tantum, inferens actum, non  
 est peccatum. Quare vel pueri norunt, eum  
 non peccare, qui peccati quidem habet co-  
 gnitionem, sed illo non delectatur, verum  
 potius id averfatur. 3.) Peccatum, abstra-

N 3

ctive

Etive consideratum, consistit in illegalitate, sua itaque essentia non nisi meram privationem involvit. Idcirco Deus, ab aeterno cognoscens suam legem, hominumque actiones ab illa deficientes, concipit peccatum, & quidem ita, ut illius essentiam non faciat 4.) Si peccatum ab aeterno non præscivisset Deus, aut legis suæ aeternam cognitionem non habuisset, aut quorundam actuum humanorum notitia caruisset. Sed utrumque in absolutam scientiæ Divinæ perfectionem incurrit, & ideo est absurdissimum. 5.) Si Deus peccatum ab aeterno non præscivisset; neque decretum electionis finaliter fidelium ad vitam aeternam formare, aut finaliter incredulorum & impænitentium reprobationem ab aeterno decernere potuisset. Decreta autem Dei sunt aeterna. Ergo falsissima est Dippelii hypothesis.

## §. 146.

Quam necessarium habet justitia Dei vindicativa influxum, in legem, obligationem & religionem, tam grata quoque est omnibus Irreligionariis, Bolingbroko, Humio (vid. §§. 138. 139.), & ceteris, quos Cap. 2. confutavi, Socinianorum & Dippelianorum opera, qua in justitiam Dei punitivam morose insurgunt.

Ob.



Objiciunt 1:o.) *Actiones Dei ad extra sunt indifferenter liberae. Punitio est ejusmodi actio. Ergo, consequenter ipsa justitia vindicativa est etiam indifferenter libera.* R. Hoc argumentum instantia solvitur: Legislatio est procul dubio actio Dei ad extra, an ergo indifferenter libera? Fuit quidem Deo ab aeterno indifferenter liberum, hominem condere aut non condere, consequenter etiam legem ferre aut non ferre; Verum posito, conditum esse hominem, neutiquam moralis ejus à Deo dependentia relinquit indifferenter liberam legislationem, quam cum imperio Divino, necessario esse connexam monstravimus (§. 18.). Sic ante conditam creaturam Deo indifferens fuit ipse puniendi actus, quatenus ex libertate. Ejus pendet creaturae existentia, sed postquam condita est creatura, peccato se deinde contaminans non amplius Deo indifferens est punire & non punire. De cætero confunditur in adversariorum argumento justitiæ vindicativæ exercitium cum justitia ipsa, illud peccatores respicit, hæc semper manet eadem.

2:o.) *Ira, seu, justitia Dei vindicativa, incipit & desinit cum peccato, nec locum habuisset, si mundus peccato mansisset vacuus, nequit ergo esse essentialia Dei attributum, sed tantum relativum. Quam ob rem nequit esse norma Juris Naturæ, quod non dependet, nisi ab essentialibus Dei attributis, Deo ab aeterno & in æternum competentibus.*



ix. Iterum confunditur exercitium justitiæ cum justitia ipsa, illi non fuisset locus, si mundus peccato mansisset vacuus, hæc perpetua est & Deo essentialis; illud respectum ad culpam dicit, quando nimirum Deus contra peccatorem agit, ut agere solet delicta puniens Dominus & Judex, hæc vero in Deo datur, etiamsi, non dato peccato, nunquam se exseruisset. Est justitia constantia voluntatis agendi, quod rectum est (§. 120. P. 1.), estque in Deo absolute perfecta & immutabilis (§. 121. P. 1.), consequenter, æterna & essentialis. Neque credant adversarii hoc valere tantum de justitia dicastica, non autem vindicativa: Nam una eademque est in Deo justitia, quæ pro diversitate objectorum in dicasticam & vindicativam dispescitur. Immo justitia dicastica includit vindicativam, quia illa legem determinans, simul statuit poenam, delicti gravitati proportionatam (§. 36. 37.). Contradictorium quoque est affirmare, Deum ab æterno & in æternum, per sanctissimam suam voluntatem aversari omne malum, & tamen justitiam vindicativam non esse æternam. Errant etiam in eo gravissime, quod perfectiones Dei essentielles, cum exclusionem justitiæ, faciant normam legis Naturalis: Nam præterquam, quod antea demonstravimus, infinitam Dei ju-  
sti-



nitiam esse legis naturalis ἀρχέτυπον (§. 22.), ipsa Dei iustitia cum perfectionibus Ejus essentialibus indivulsum habet nexum: Nam rectitudo, quæ iustitiæ basis est, consistit in necessaria congruentia cum perfectionibus Divinis (§. 119. P. 1.). Tandem ne adversarii in sinistram sensum trahant Scripturæ dicta, ut Rom. 1: 18. Eph. 2: 3. Deut. 29: 20. quæ Deo adsignant iram, observandum est iram Dei nihil denotare aliud, quam displicentiam actionis malæ, conjunctam cum voluntate, puniendi delinquentem. Ira, prout nobis competit, & sensitivorum affectuum continetur numero, est tedium insigne, ortum ex injuria, nobis illata, conjunctum cum odio ejus, qui intulit, immo cum vindictæ cupidine. Atque hinc ira vincit omnes affectus, gravitate, vehementia & malitia. De hac nostra verum est, quod dicit Cicero Libr. 1. cap. 26. de off. *iratum, qui ad poenam accedat, nunquam tenere mediocritatem illam, quæ est inter nimium & parum.* Talem iram ut Deo tribuamus, quam longissime absit, nulla enim vehementia, nulla sensuum confusio, nulla affectuum sensitivorum mixtura in Deo locum habet. Sed quia omnis actio, legi contraria, Deo displicet, & est injuria in Majestatem Divinam, quam non potest non punire; id, quod in



nostra ira est reale & perfectionem involvit, Deo competit. Atque hoc sensu ira Dei nihil denotat aliud, quam *constantem & perpetuam voluntatem repellendi sibi repugnans, illud puniendo*. Atque hoc significatum cum iustitia Dei vindicativa coincidit. Si hoc considerassent Dippeliani, iram Deo nunquam, ut credo, denegassent, nam non putaverim eum sanæ esse mentis, qui concedit quidem Deum esse omnium creaturarum supremum Dominum, & sanctissimam eis dedisse legem, negat vero, Deum habere constantem voluntatem, repellendi legi suæ repugnans, illud puniendo. Adeo arcte hæc duo sunt connexa, ut alterum involvat alterum.

3:o. Obj.) *Potest quisvis suo juri renunciare, adeoque & ipse Deus peccata impunita dimittere potest.* Resp. Utut hoc procedere interdum potest in jure mutabili, positivo & arbitrarii exercitii, nequaquam tamen ad jus Dei immutabile, æternum, perfecti & perpetui exercitii est extendendum, quum Deus suo juri renunciare nequeat, nisi se ipsum abneget (§. 4.). Quod dictum impium. Regerunt: *Sic Deus inferior constituitur quovis etiam vilissimo Domino terrestri, debitum condonante.* Resp. Absit. Nam Deus hoc ipso demonstrat suam iustitiam infinite superare quasvis hominum justas actiones.

Est



Est iustitia Deo essentialis, homini accidentalis. hic ergo suam mutare potest, Ille autem non magis, quam propriam essentialiam. Hinc recte *Calixtus* de Pact. Div. §. 31. Possunt quidem homines, quibus commissa est potestas, & administratio iustitiæ, supplicium commertum condonare & impunitum dimittere, quia possunt deficere, iustitiamque & pacta insuper habere, quale quid in Deum cadere, summa & absoluta Ejus perfectio non admittit, non magis, quam ut fallat, aut Deus esse desinat. Ergo absoluta Dei potentia non eousque est extendenda, ut infinitæ Ejus perfectioni deroget.

4. Obj.) *Deus est amor per essentialiam, non potest ergo delicta pœnis compensare nam sic desineret esse amor.* R. Distinguant adversarii inter amorem Dei *immanentem*, quo se ipsum amplectitur, suasque adprobat perfectiones; & *transeuntem*, quem erga creaturas declarat, qui dicitur alio nomine *bonitas Dei relativa*. Manet utique Deus amor, dum iustitiam suam vindicativam exercet, amore scilicet immanente (Nam inde quod Deus adprobet suas perfectiones, necessitas pœnarum facile demonstratur), non transeunte: Nam amore quidem ardentissimo creaturam suam prosequitur, cum vero illa potenti manui Ejus se subicere renuit, neque

que se ad voluntatem Ejus conformari pati-  
tur, utut omnia, quæ ipsum concernant,  
gratiosissime ordinavit & attentavit; cogi-  
tur quasi a creatura ad se ipsum recedere,  
& transeunti amoris terminos ponere, im-  
manenti congruos, quippe qui absolutus est  
& penitus immutabilis. Non ergo extendant  
amorem & bonitatem Dei relativam in præ-  
judicium Sanctissimæ naturæ. Sic infinito  
enti absoluta perfectio impie derogaretur.

5. Obj.) *Αὐθγοπονία* est, Deum ad-  
fingere eo adfectum animo, quo petulans studio-  
sus, vel miles atrox est, qui gladio, honoris  
reparandi causa, certamen singulare, vulgo  
duellum, ingreditur. Tales improbi homines,  
pro reparando honore, satisfactionem quærunt.  
Deus essentialis amor non quærît. R. Maxi-  
mæ audaciæ, immo, impietatis notam non  
evitabunt adversarii, Deum cum milite a-  
troci & homine petulanti infulse comparan-  
tes: Homines isti turbant societatem huma-  
nam, & pro inanissimo, eoque privato, bo-  
no, maxima generi humano adferunt da-  
mina, perpetratis cædibus, & ideo in legem  
Nat. quæ in perfectionibus Divinis est fun-  
data, gravissime impingunt. Deus autem,  
suam quærens gloriam, eamque ab injuriis  
malevolorum vindicans, quærît id, quod  
summo jure suum est, & quidem ita, ut  
nisi



nisi vindicaret, non esset ens absolute perfectum, quod absurdissimum.

6. Obj.) *Factum fieri nequit infectum, quid ergo opus est inflictis pœnis respicere præterita?*  
 Resp. Factum fieri non potest infectum, *physice*, potest tamen fieri infectum *moraliter*, ita ut id, quod in peccatis est morale, tollatur. Quodnam illud? quæris, respondeo, indignitas peccati, iniquitas in superioris jus, & scandalum. Hæc tolli possunt, & actu tolluntur convenienti pœna, quam si delinquenti non immitteret Deus, id efficeret, ut etiam morali sensu duraret peccatum, quod sanctissimæ Dei naturæ, si quod aliud, adversatur.

§. 147.

Missis Emanationis & Fanaticis, quorum portenta, in Parte 1. quantum nobis hoc loco videtur satis, confutavimus, ad eorum examinanda pergimus dogmata, qui opinantur Deum agere omnia, creaturam nihil (§. 92. lit. γ.) πρῶτον horum *ψεύδος* est, creaturas rationales non possidere, nisi nudam agendi potentiam, & ideo, quum à posse, ut in Scholis dicitur, ad esse non valeat consequentia, fluere inde arbitrantur, creaturam rationalem nihil operari posse, nisi à causa universali ad agendum excitetur & determinetur. Vi autem agendi creaturas cavere inde probare sonantur 1.) Quod principii activi, si à Deo di-

Seco

scedamus, nulla nobis sit idea. 2.) Quia vis activa realitatem & perfectionem denotat, quæ omnis non potest non Deum agnoscere auctorem. Sed quam falsa & lubrica hæc sint principia cuivis, vel leviter attendenti, patere arbitror: Nam creaturæ rationales sunt substantiæ simplices, ut enim cogitandi, sic etiam ratiocinandi facultas materiæ plane repugnat: Simplici autem substantiæ tribuere agendi potentiam, vi agendi denudatam, idem plane est, ac ipsam Ejus simplicitatem tollere: Nam in eo differre ens compositum à simplici Metaphysica docet, quod illius essentiae existenti nulla, hujus vero aliqua insit agendi vis. Neque creaturarum finitudo huic repugnat prædicato: Vis, in genere spectata, nihil involvit amplius id, agentis internum, quod in se continet rationem sufficientem actionis ejus. Ipsa ergo notio principii activi, id non magis restringit ad ens infinitum, quam finitum. Sed si dicis non posse creaturam in se continere rationem suæ actionis, quia esset hoc solius Dei prædicatum, aut ex aliis principiiis tuam demonstrates assertionem, aut fallaciam petitionis principii committas oportet. Non valet, si affirmas te principii activi, si à Deo discedas, nullum animo formare posse conceptum, nam illum mox dedisti, & quidem tam generalem, ut & Deo & cre-



creaturis eum recte tribuas. Et quid quæso infinitatis & independentiæ habet conatus agendi, in genere spectatus? Vis agendi aliud non designat. Hanc ergo creaturis sine omni fundamento denegas. Regeris, *vim activam esse perfectionem, quæ omnis Deum agnoscit auctorem.* Verum hoc est, quoad primam originem, ita, ut omnis activa vis spirituum creatorum à creatrice Dei manu, qua primam existentiam, & à conservatrice, qua existentia continuationem, dependeat. Hinc vero si sequeretur, nullam creaturis competere agendi vim, eodem colligendum esset argumento, non existere creaturas, quia existentia, omnium confessione, est realitas & perfectio Deumque agnoscit auctorem. Sed quam absfona est ejusmodi argumentatio, tam multum à vero discedit totum opinionis adversariorum fundamentum.

Sed ut magis pateat oppositæ sententiæ falsitas, fingamus creaturis, præter agendi potentiam, nullam competere vim activam, Deumque ideo agere omnia, creaturam nihil, inde sequeretur:

1.) *Deum esse unicam naturam omnium rerum:* Natura enim ab antiquissimis, retro seculis, nihil denotare sivevit aliud, quam principium activum, rebus creatis competens. Sed Deus, ex mente adversariorum, est

est illud principium activum. Ergo Deus esset omnium rerum natura. Quam prona hinc fiat ad spinosismum, quo Deus cum mundo impie confunditur, conclusio, vel cæcus videt. Hoc igitur commentum vix minori laborat absurditate quam spinosisticum.

2.) *Deum esse auctorem omnium nostrarum actionum, non modo bonarum, sed & malarum.* Nam si solus Deus excitaret & determinaret creaturam ad agendum, solus Deus esset & bonarum & malarum actionum causa, quod in sanctissimam Dei naturam, maxime est injurium.

3.) *Nullam creaturis rationalibus competere libertatem.* Ostendimus enim (§. 657. Psych. Emp.) inter essentialia & necessaria libertatis requisita numerandas esse spontaneitatem & indifferentiam exercitii. *Ille principium denotat, agenti internum, quo ad agendum se determinat.* Unde sequitur actus non esse spontaneos, ad quos edendos ex principio externo determinatur agens. *Hæc facultatem dicit, non magis ad agendum, quam non agendum, ad agendum hoc, quam aliud restrictam & aliunde necessitam.* Sed hypothesis adversariorum infert, creaturis rationalibus nullum inesse agendi principium, sed solum Deum illas ad agendum determinare. Evidens ergo est, per hanc hypothesin non enervari modo, sed penitus tolli omnem libertatem.

4.)



4.) *Cessare itaque omnem imputationem moralem*, cui sine libertate nullus relinquitur locus.

Plures, quæ huic hypothefi favere videntur, objectiones, resolvi in Psychol. Ration. dum in eo fui occupatus, ut Systema caussarum occasionalium everterem.

§. 148.

Qui credunt nos nullas habere veras Dei & rerum Divinarum notiones, eo magis sunt absurdi, quo certius, & naturali & revelata cognitione nobis patere quid Deus sit? & quid à nobis agendum velit? Nam parte Prænot. 1. §. 132, in pugna cum atheis, evidenter demonstravimus, nos habere conceptum Dei, licet non adæquatum & comprehensivum, verum tamen & sufficientem ad distinguendum Deum ab omni eo, quod Deus non est. Simul sectione thetica hujus partis evicimus, quid Deus naturali lege à nobis poscat. Et licet fatear magnum esse luminis naturæ defectum in iis describendis, quæ in hoc corrupto statu ad veram nostram faciant salutem, illum tamen abunde supplevit Benignissimum Numen data revelatione, Sacris Literis comprehensa, cujus præcipuum caput & veluti centrum est, *erudire & perducere hominem ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu.* 2. Tim. 3:15. & quidem ita, ut nihil eorum

PARS III.

O

rum

rum subterfugiat, quæ nobis ad salutem, per fidem in Dominum nostrum Jesum Christum, conducerent, quo minus ea nobis annunciet Act. 20: 20, 21. Sibi ergo ipsis suæque supinæ negligentiae tribuant adversarii, si nesciant, quid Deus ab illis poscat. Non habent hi, quo suam tegant ignorantiam. Dicunt quidem 1.) *Mentis nostræ vires non ultra superficiem terræ elevari posse, eas ergo non corrumpendas esse per investigationem rerum invisibilium, quæ ad religionem pertineant.* 2.) *Nosse & dicere quid Deus sit, esse eum limitibus nostræ phantasiæ circumscribere.* Prout horum homuncionum obmurmurationes profert B. Læscherus in Prænot. Theologicis pag. m. 58. Sed sciant 1.) non religionis cognitionem, sed nimium, quod rebus terrestribus tribuunt, studium, corrumpere mentem, ipsumque præjudicium sensuum totam eorum cognoscendi vim ita occupare, ut ejus illecebris impediti, putent nihil esse conceptibile, nisi quod sensibus exhiberi queat externis. Sed sæpius antea contra hoc idolum pugnavimus, & gravissimis argumentis per aërem dissipavimus. Sciant 2.) Non esse phantasiæ officium concipere Deum, illa enim sensatione externa unice nititur, nec aliud, quam corporeum & extensum repræsentare valet. Itaque nullius momenti est hæc ad-  
ver-



versariorum objectio, nisi ostendere possint, mentem nostram, præter imaginationem, aliam non possidere facultatem res cognoscendi, vel omnes reliquas facultates ad phantasiam reduci debere. Hoc autem probare nequeunt, reclamant enim interna experientia, totaque Psychologia Empirica in eo occupatur, ut ostendat mentem non modo imaginationem & sensationem, sed etiam intellectum & rationem possidere, & has facultates ad illas reduci non posse: Confer etiam ea, quæ §. 114. in hoc puncto contra De la Mettrie monstravimus.

§. 149.

*Quoad Deum, nullum dari peccatum, ex principiis Philosophiæ Wolfianæ sequi videtur: Nam vir Illustris §. 563. Theol. Nat. P. I. demonstraturus mala physica, in relatione ad mundum integrum, non esse mala, hanc universalem habet propositionem: In relatione ad mundum integrum, malum dici nequit quidpiam, ad ipsum spectans, nisi quatenus eundem reddit imperfectiorem, quam foret, siquidem ipsum abesset. Sed malum morale, seu, peccatum est quidpiam huic mundo, omnium possibilium perfectissimo, inexistentis §. 549. l. c. nec, licet in se & abstracte consideratum, sit verum malum (§. 576) mundum reddit imperfectiorem, quam foret, si abesset: Est enim hic mundus, non obstante malo morali, omnium possibilium optimus §. 550. l. cit. Ergo malum morale*

○ 2

le in relatione ad integrum mundum non est malum. Porro. Deus de malis hominum actionibus non iudicat, nisi in relatione ad totum mundum, nec eas deinceps ad se refert, nisi quatenus spectantur ad totum mundum relata §. 573. in notis. Sed in relatione ad totum mundum, malum morale non est malum (per priorem syllogismum). Ergo Deus iudicat de malo morali, quod non sit malum, & eodem modo illud ad se refert. Consequenter, quoad Deum, nullum datur peccatum. R. Totum hoc dubium, specioso vestitum habitu, fundatur in idea mundi unice optimi, quam post Illustrem Leibnitium, animo formavit acutissimus Wolfius, notione mundi comprehendens, non modo substantias, simul & successive existentes, sed omnes quoque harum substantiarum actiones naturales, liberas, bonas, malas. Antea autem breviter demonstravimus (§. 75. P. 2.), mundum sub hac notione non esse electum, nec creatum, nec optimum; optimum vero esse tantum ratione substantiarum, quæ in illo existunt. Malum ergo morale licet in mundo adsit, ad eum tamen non pertinet, quatenus statuitur perfectissimus. Quam ob rem propositio maior in primo Syllogismo ita erit limitanda: In relatione ad mundum integrum, quatenus & quousque optimus dici potest, mala dici nequit ulla substantia, ad illum spectans, nisi quatenus eundem reddat imperfectiorem, quam foret, siquidem ipsa abesset. Hinc fiat subsumtio: Sed malum morale, licet in mundo,



*do, prob dolor! adsit, non tamen est substantia, sed accidens. Hinc inferatur: Ergo hujus mali imperfectio vel perfectio in relatione ad mundum, sensu, quo dicitur optimus, non est aestimanda. Itaque licet malum ad integrum mundum referatur, non tamen desinit esse malum. Vacillat ergo tota, quæ, pro peccato extenuando, adfertur, objectio. Præterea moralitas actionum nostrarum dependet ex earum ad Divinas perfectiones relatione, ita, ut actiones, his conformes, sint bonæ & præceptæ, diffformes vero sint malæ & prohibitæ (§. 21.). Neque Deus vi suæ justitiæ, qua semper vult, quod rectum est, & ideo, quod cum summis suis perfectionibus est congruum, juxta aliam normam de actionum nostrarum moralitate judicare potest. Falsum ergo est, Deum non aliter, quam in relatione ad totum mundum judicare de malis hominum actionibus, easque deinceps ad se non aliter referre, nisi quatenus spectantur ad totum mundum relata: Nam per prius ostensa fieri prorsus nequit, ut actionum nostrarum moralitas ex alio dependeat fundamento, quam earum ad perfectiones Divinas relatione. De novo itaque intelligis, quam perverse in proposita objectione colligatur ad extenuandum peccatum. Tandem cogites, precor, & digne tecum perpendas, quam mala ex*

hoc dogmate, quo ponitur in relatione ad Deum non dari peccatum, fluant confectaria: Nam quæ quæso foret peccati gravitas, si ex relatione non ad infinitam Dei maiestatem, sed respectu ad mundum penderet? Limitata profecto, & re ipsa, nulla. *Limitata*, quia mundus infinite extensus repugnat, nec ullius veræ infinitatis est capax; *Nulla*, quia peccatum, superioris jus nullo modo lædens, evanescit; est enim omne peccatum transgressio legis, quæ sine jure superioris concipi nequit. Sed mundo tribuere jus superioris in nos nostrasque actiones, Spinofisticum est & vere contradictorium. Sub hac ergo hypothese in nihilum abiret omne peccatum. Quid ergo opus lege Naturæ? Quid Redemptore, quum nulla adsit transgressio s. peccatum? Ipsi ergo intelligitis, periculosissimam esse hanc sententiam & veræ pietati maxime noxiam.

## §. 150.

Succedit alius error, religioni inimicus, cum mox profligato amice conspirans, quo statuitur, *Deum actionibus hominum non delectari nec offendi*. Putant hujus opinionis patroni, nos, *contrarium defendentes*, ex nostro ingenio Deum metiri, & Ei, *Qui est absolute immutabilis & sibi ipsi beatissimus*, plures hac sententia adsignare imperfectiones.

Post



Post Epicurum (vid. §. 53. P. 2.) & Spinozam, qui in Epist. p. 515. 570. blaterat, *puerorum somnia esse, si Deo gratum aliquid, aut iugratum esse opinemur*, ex cœtu Fanaticorum idem adprobavit Francus, omne odium, iramque adversus malum, & reconciliationem, Deo denegans, atque passim, pro gerris puerorum venditans, quæ Sacræ Literæ de offenso expiatoque Deo dicunt, sentiensque Deum cuilibet esse, quod ipse velit, gratiosum illis, qui ita sibi Illum fingant, iratum iis, qui contra sentiant. Pari ratione auctor Concordiæ Berolinensis scribit, Deum à nulla re creata offendi, nec iram Ejus excitari posse. Vid. Læscheri Prænot. p. 63.

## §. 151.

Sine difficultate resolvitur hoc dubium, Deus non eo, quo nos, sensu, delectatur & offenditur quibusdam actibus, quidquid enim nostræ delectationi & iræ inest imperfectionis, id à Deo quam longissime est removendum. Itaque quoad Deum, per *τὸ delectari aliquo actu*, nihil intelligimus aliud, quam constantem & perpetuam voluntatem adprobandi actum, Divinis perfectionibus conformem, illum benignissime remunerando: Per *τὸ offendi s. iram DEI*, aliud significare non cupimus, quam constantem & perpetuam voluntatem repellendi, sibi repugnans, illud puniendo (vid. §. 147.). Quam certum ergo est, Deum adprobare bonum, illudque benignissime remunerare,

re; malum vero improbare & punire; tam evidens quoque est, Deum & delectari & offendi quibusdam hominum actibus, sed dicto sensu, h. e. Θεοπροπῶς & sine ulla imperfectione. Non igitur pro somniis & gerris puerorum est habendum, quod Sacrae Literae de offenso expiatoque Deo dicunt, ut adversarii calumniantur, sed pro inconcussa & certissima judicandum est veritate.

## §. 152.

Inter indirectos religionis hostes secundo loco eos retulimus (§. 91.), qui de homine, quatenus religionis est capax, pessime sentiunt, & ideo animam humanam in meram convertunt Machinam, negantes ejus spiritualitatem, immortalitatem & libertatem (§. 93.). Sed hanc rem, in controversia cum famosissimo atheo De la Mettrie, satis vindicavimus, & in Psychologia Rationali abunde demonstravimus. Nec, pro materialitate animae defendenda, novum quid addert Lord Bolingbrok: hypothesebus enim valde tritis, & à nobis saepe, praesertim in Psychol. Ration. confutatis pugnat. Non ergo videtur opus, ut de hac re ulterius disseramus.

## §. 153.

Quam ob rem pergitur ad indirectorum religionis hostium tertiae classis socios, qui  
cir-



circa ipsam religionem perversa statuunt dogmata. Inter hos primum nobis occurrunt, qui religionem rem mediam, quæ bona vel mala esse possit, clamitant. Horum præcipuus Patronus est Petrus Bailius Tom. IV. Respons. p. 257. qui existimat, religionem, etiam in Logica accuratiorè consideratam præcisamque, esse rem mediam, quæ bona esse vel mala possit, prout eam capiamus, posseque adeo à veritate & pietate prorsus abstrahi animum, & tamen religionem concepi. Rationem opinionis hanc allegat: Datur bona & mala religio, adeoque utriusque generalis notio constituenda est indifferens. Hinc Magos Sagosque suam habere religionem, quæ mala est, putat, indeque concludit, dari religionem falsam, dari etiam veram. Ergo religionem in genere neque bonam, neque malam, sed indifferentem esse infert. Resp. 1.) Quem ad modum genera non existunt, nisi in individuis, ut Metaphysica docet, ita religio, sub generali notione considerata, non existit. Consequenter, quæcunque actu datur, illa aut est vera, aut falsa. 2.) Cogitet Bailius, medium non dari inter bonum & malum sensu morali: Hoc enim sensu aut est quid perfectionibus Divinis congruum, aut cum iisdem pugnat, tertium est impossibile. Ergo religio indifferens est purum putum Bailii figmentum. 3.) Fingamus religionem, in genere consideratam, ut somniat Bailius, esse nec bonam nec malam, sed indifferentem: Negare

gare autem nequit, nam Logica id abunde docet, notionem speciei constare notione generis & differentia specifica. Veræ ergo & bonæ religionis, quam ut speciem sub religione in genere considerat, essentialia requisitum est conceptus religionis in genere. Sed quam impossibile est, ut verum constet prædicatis, quorum alterum sit ad verum & falsum indifferens, alterum autem sit verum tantum; tantæ quoque est contradictionis, statuere religionem, in genere spectatam, esse indifferentem, speciem vero ejus, puta religionem veram, non retinere eandem indifferentiam. Cadit itaque tota Bailii argumentatio. 4.). Concedit Adversarius, religionem, in genere spectatam, dividi in species, religionem veram & falsam. Sed docet Logica, determinationes específicas notionem generis non ingredi, sed ei, in specie constituenda, adjici. Illa ergo prædicata, per quæ falsitas in religione constituitur, non ingrediuntur religionem in genere. Remota itaque à conceptu religionis generali, omni falsitate, quam cum malitia morali coincidere statuit adversarius, non remanet nisi veritas, quam includere bonitatem moralem putat idem adversarius. Itaque ex propriis ejus principiis deduximus conclusionem, ejus hypothesi inimicam. Excipis



pis forte, ex altera religionis specie, quæ statuitur vera, eodem inferri posse modo, à notione religionis in genere removendam esse bonitatem. Sed observes, precor, duas conclusiones, contradictorie oppositas, ex iisdem, eodem modo, deductas præmissis, harum arguere falsitatem. Vides ergo, ni valde fallor, te proprio gladio esse percussum. Sed quæris, in quam re consistat præmissarum falsitas? Ut alia taceam, in eo potissimum versatur, quod adversarius consideret religionem falsam, ut veram speciem sub religione comprehensam, quum potius sit res hybrida, ex religione & ejus defectu constans. Sic non errat v. gr. Turca & peccat, quatenus religionem habet, i. e. quatenus Deum agnoscit & colit, neque in hoc consistit falsitas religionis Turcicæ, sed in eo, quod in colendo Deo ab Ejus voluntate deficiat, fabulisque humanis, loco Dei voluntatis, obsecundet. Sciat ergo Bailius, ea, quæ religioni accidunt, eamque efficiunt falsam, non esse religionis, sed mendacii & sceleris admixti, maximamque religionis partem evertentis. Vid. Lœscheri Prænot. p. 69. Sciat quoque non alio nomine dari religionem magorum & sagarum, quam si credat cultum Dei & satanæ pari ambulare passu, quod dictu & cogitatu est maxime hor-

horrendum. Discat denique divisionem religionis in veram & falsam, non tam esse ipsius religionis, quam potius ejus ab hominibus administrationis, atque ideo non magis valere ad negandam religionis bonitatem, quam ex iustitia recte vel male administrata sequatur, ipsam iustitiam esse rem indifferentem, quæ neque sit bona, neque mala.

## §. 154.

In scenam nunc prodeant, qui cultum Dei externum, ut inutilem & non præceptum, rejiciunt. Horum quidam, cum G. G. Titio, obs. 105. in Puffen. mitiores, sunt, non omnem quidem hominis ad cultum Dei externum obligationem, è jure Naturali eliminantes, præcipuam tamen ejus tollentes partem, quatenus putant, ipsam actuum honorificorum susceptionem non mandatam esse, sed tantummodo licitam, mandatam vero esse omissionem contemptus externi cultus. Antea vero demonstravimus (§. 74.) nos perfecte obligari ad cultum Dei externum, unde sequitur hunc cultum non esse rem indifferentem, sed summo Dei jure præceptam, & idcirco non eos solum graviter peccare, qui contemnunt cultum externum, sed eos etiam, qui eum omittunt, nec suæ obligationi satis faciunt.

## §. 155.



## §. 155.

Alii autem negant omnem necessitatem cultus externi, eumque ut plane indifferenter fingunt, quorum paucis discutiamus argumenta. Dictitant 1:o) *Deum non indigere cultu externo, quia est cordium scrutator.* 2. Neque Deus indiget cultu interno, est enim sibi metipsum sufficientissimus & beatissimus. Si ergo valeret adversariorum fundamentum, everteretur omnis Dei cultus, quod absurdum fatentur ipsi. Non colitur Deus, quia indiget nostro cultu, sed quia nos Ejus gloriam promovere debemus, & Ejus gratiae valde sumus indigi. Est Deus cordium scrutator, sed cor tuum, ut §. 74. demonstravi, non est in oculis Dei rectum & bonum, nisi in externos erumpat actus, in honorem Dei directos.

Urgent 2:o). *Custodiam socialitatis, omissione cultus externi, directe non lædi, illumque ideo Jure Nat. non esse præceptum.* Resp. Custodiam socialitatis non esse ultimum & adæquatum Juris Nat. fundamentum, plures dudum demonstrarunt. Deinde si vel maxime concederemus, studium socialitatis esse fundamentale legis Nat. præceptum, inde tamen non magis sequeretur, cultum Dei externum non esse necessarium, quam in genere omnia erga Deum officia ex am-

bi-

bitu Juris Nat. tolli debere, quæ, fatentibus his Philosophis, non nisi indirecte ex custodia socialitatis fluunt.

3:0.) Credunt *humani generis indolem ita comparatam esse, ut tranquillitas animi singulorum & publica pax sine cultu Dei externo consistere possit.* Sed ex antea demonstratis patet, ita comparatam esse indolem cujusvis hominis, ut apta nata sit ad cultum Dei & internum & externum, hominemque ad hunc utrumque perfecte obligari. Simul evicimus (§. 74.) animum hominis, qui suam ad Deum super omnia & totis viribus glorificandum sentit obligationem, non posse tranquillum esse, nisi actibus externis suam erga Deum testetur submissionem. Neque sibi persvadeant adversarii publicam pacem sine cultu Dei firmam diu esse permanfuram, nam sublato cultu Dei externo vilescit, tandemque evanescit cultus Dei internus, omnisque religio tandem perit, quam tamen vel ipsi athei fatentur esse firmissimum societatis humanæ vinculum.

4. Objiciunt, *piam erga Deum mentem alius, vitæ scil. sanctitate & pietate, certius declarari posse, quam cultu Dei externo, hominem igitur non obligari ad hunc cultum.* Resp. Nulla in hoc argumento est connexio: Posito enim uno alterum non removetur, nisi sint



sint opposita. Quare, quum cultus Dei externus piæ & sanctæ vitæ non opponatur, sed sub illa potius contineatur, concessio, hominem obligari ad piam erga Deum mentem, aliis declarandam, non tollitur, sed potius confirmatur necessitas cultus externi.

5.) Reponunt, *rationem, sibi relictam, ignorare æternam felicitatem, atque capropter cultum Dei externum, tanquam medium ad eam ducens, postulare non posse.* Resp. Si hæc argumentandi methodus esset valida, neque cultum internum esse præceptum, nec ideo ullam necessariam esse religionem sequeretur. Quod absurdum agnoscunt ipsi adversarii. Fateor præterea rationem, sibi relictam, ignorare cœlestia gaudia, prout revera sunt, nullique mortalium esse datum illa digne describere & delineare, sed simul fatendum, rationem sibi relictam, non ignorare immortalitatem mentis, seque post hanc vitam summæ felicitatis fore participem, si voluntati Divinæ de sua salute non resistat: Nam his fundamentis nititur tota lex Naturæ. Absit vero putent adversarii cultum externum à nobis considerari ut medium obtinendi salutem æternam, quam sine fiduciali apprehensione meriti Christi consequi non possumus. Nihilo autem minus urgemus, cultum externum,

num, esse à Deo præceptum, & ideo necessarium.

6.) Objiciunt. *Quidquid hypocritas, laudem pietatis apud alios captantes, facit, illud non est mandatum. Atque cultus externus ita.* Ergo. Resp. Cultus Dei externus, quatenus est cultus Dei, nullos facit hypocritas; facit, quando non est cultus Dei, h. e. quando externa actio internæ non respondet. Respondere autem debet: Nam sine aperta contradictione dici nequit, aliquem colere Deum sine mentis intentione (§. 41.). Hæc ergo si abfuerit, cultus ille externus non est cultus, sed mera hypocrisis, quam salva cultus externi necessitate, damnandam esse, quivis facile intelligit.

7.) Contra precum necessitatem ita argumentantur: *Nulla est ratio ut Deus. Qui omnes nostras necessitates optime novit, nostris precibus admoneatur beneficii largiendi.* Resp. Ut hanc instantiam digne solvamus, de indole & natura precum quædam sunt præmittenda. Sermo, quo internum animi statum in invocatione Numinis & gratiarum actione, verbis exprimimus, *Oratio* vel *Preces* dicitur. Unde patet 1.) preces esse nullas nisi cum invocatione & gratitudine mentali jungantur, & ideo, quum cultus Dei externus ab interno non sit separ-

ran.



randus, 2.) interdictum esse, inter precandum, proferre verba, quæ vel non intelligimus ipsi, vel ad quæ nullam adferimus attentionem. 3.) in oratione omnem Deo deferendam esse reverentiam (§. 53.). 4.) Conformandas esse nostras preces ad Dei voluntatem, omnemque in gratia Dei non autem nostris meritis ponendam esse fiduciam. Ex his elucet principiis, *nos perfecte obligari ad orandum, s. ad fundendas preces*: Nam ad Deum invocandum (§. 66.), & celebrandum, nec non ad gratias Eligendas (§. 69) perfecte obligamur. Sunt invocatio, gratitudo mentalis, & celebratio Nominis Divini, cultus interni species. Sed perfecte obligamur jungere cultum externum cum interno (§. 74.). Invocationi autem, gratiarum actioni & Divini nominis celebrationi externe respondet oratio (per def.). Ergo ad Deum orandum perfecte obligamur. Maxima itaque precum datur necessitas. Nunc directe ad propositum argumentum respondeamus. Qui Deum ideo orat, ut Eum beneficii largiendi admoneat, seu, cogitationem de dando beneficio subiciat, is male orat, & orando graviter peccat in infinitam Dei scientiam & bonitatem. Non ergo ob allatam ab adversariis rationem defendimus precum necessitatem; sed quia invocatio Numinis &

PARS III.

P

gra-

gratitudo mentalis, nisi in ardentissimas preces erumpant, non sunt plenæ & completæ. Quamobrem adversarii aut statuunt permittum esse invocare Deum animo non pleno, aut concedant precum necessitatem esse tantam, quanta ad id requiritur, ut homo suo officio satisfaciat. Prius est absurdum. Ergo posterius verum. Multum præterea boni adferunt preces cultui Divino, & à nobis ipsis præstando & in aliis excitando. Nam 1.) sunt fiducia, quam in Deo ponere debemus, certissima signa, quibus, tanquam vivis exemplis, ad similem in Deo fiduciam collocandam concitantur alii. 2.) Devotionem augent: Nam à sensualibus sæpe avocatur animus à legitimo Dei cultu, quæ prolatis precibus, ne sentiantur, vel impediri vel saltem minui possunt. 3.) Exhibent suavissimum animæ nostræ cum Deo commercium. Taceo alia plura bona, quæ placuit summo Numini cum ardentiori precatatione gratiosissime connectere.

## §. 156.

Cultus externi hostibus è diametro adversantur religionis superficialiæ defensores, in cultu externo acquiescentes, omnemque salutis spem in eo collocantes, de interna animi puritate & sinceritate parum solliciti (§. 94. n. 3.). Superficialiam hanc religionem,



nem, rectæ rationi prorsus inimicam, damnat & Veteris & Novi Testamenti Scriptura: Nam quando Israëlita in V. T:o cultum Leviticum totumque ceremoniarum apparatus, ad Messiam præfigurandum, à Deo sapientissime institutum, in superficialiam religionem convertebant, putantes per ritus hosce & victimas, absque intuitu fidei in Messiam venturum, deleri peccata, graviter eos per Prophetas reprehendit Deus, ut Ps. 50: 7-15. El. 1. toto fere capite, ubi in v. 13. ostendit ejusmodi cultum esse idololatriam. Jerem. 6: 20. Conf. cap. 7: 3 & seqq. in quo ultimo loco ostenditur modus, quo cultus externus Deo placeat. His addantur loca Amos. 5: 21. seqq. Mich. 6: 6-8. Sic etiam Sanctissimo Salvatore maximum fuit certamen cum Judæis, qui Divinitus traditam religionem fere in superficialiam commutarunt. Demonstrat ergo Matth. 5: 20. nobis non datum iri introitum in regnum cœlorum, nisi nostra justitia superet Phariseorum justitiam, quam tantum in externorum rituum observantia constituisse ostendit Matth. 23: 25. Luc. 11: 39. Ex his ergo & aliis pluribus Scripturæ locis perspicue patescit, damnandam esse superficialiam religionem, quæ pro sui defensione ne minutissimam quidem adferre valet rationem.

## §. 157.

Quum ἐθελοθρησκεία sub religione super-  
 perficiaria, tanquam auctior quædam speci-  
 es, contineatur (§. 94. n. 4.), hac damnata,  
 illam quoque esse proscribendam clarissime  
 patet. Non rejicimus omnem ceremonia-  
 rum usum in peragendis sacris, sed eas,  
 modo sint vel in ipsa Scriptura mandata,  
 vel reali fundamento superstructæ, esse ad-  
 probandas contendimus, nam faciunt, ut,  
 ad colendum Deum convocati, his signis  
 ad cogitandum de suis officiis concitentur,  
 aliique de nostro candore & facti veritate  
 convincantur; Damnamus vero ceremonia-  
 rum abusum, quo in his solis tota religio-  
 nis essentia ponitur, cultusque internus  
 supprimitur quasi & suffocatur.

PARTIS TERTIÆ PRÆNOTIONUM  
 THEOLOGICARUM

FINIS.

S. D. G.



CON-





## CONSPECTUS


### PARTIS TERTIÆ PRÆNOTIO- NUM THEOLOGICARUM.

#### *Sectio Thetica.*

	PAGE
Cap. 1. De Jure Dei in crea- turas	1
Cap. 2. De obligatione hominis ad religionem, voluntati Di- vinæ conformem	37

#### *Sectio Polemica.*

Cap. 1. De Irreligionariis	69
Cap. 2. Confutantur Irreligiona- rii Directi	97
Cap. 3. Indirecti	163





# INDEX. LOCA SCRIPTURÆ SACRÆ.

Cap.	Vers.	§.	Cap.	Vers.	§.
	Gen.			Job,	
I.	24. 25. 26.	127	XV.	20. 21.	58
II.	7.	127	XXVIII.	28.	55
VI.	6.	145		Psaln.	
XVIII.	21.	145	III.	10.	55
XXII.	12. 144. 145		XIII.	6.	60
	Exod.		XVIII.	24. 26.	31
XV.	30.	96	XXXVI.	8.	60
XVI.	4.	145	XXXVII.	3-7.	61
XX.	2.	130	L.	7-15.	157
	Levit.		LV.	23.	61
II.	44.	21	CXV.	3.	141
XX.	7. 26.	21	CXXI.	2. 3.	60
	Num.			Prov.	
XIV.	23.	145	I.	7.	55
XV.	34.	97		Ecclef.	
--	36.	96	III.	18. 20.	102
XXIII.	8.	145	XII.	7.	102
	Deut.			Esa.	
VII.	2.	145	I.	13.	157
XXIX.	20.	147	V.	4.	145
	I. Sam.		LXVI.	24.	134
XV.	11.	145		Jerem.	
--	29.	145	VI.	20.	157
				Jerem.	



# INDEX.

Cap.	Vers.	§.	Cap.	Vers.	§.
	Jerem.			Act.	
VII.	3.	157	XVII.	21.	49
XXIX.	7.	96	--	24. seq.	2
	Dan.		XX.	20. 21.	149
V.	23.	2		Rom.	
	Amos.		I.	18.	147
V.	21. seq.	157	--	21. 28.	41
VII.	36.	145	II.	5-7.	31
	Mich.		XI.	9.	134
VI.	6-8.	157	--	14. 15.	18
	Matth.		IV.	21.	60
V.	20.	157	XI.	33.	144
--	45. 48.	138		Eph.	
	48.	21	II.	3.	147
VIII.	2.	141		Col.	
X.	28.	102	II.	23.	94
XXII.	37.	54		2. Thes.	
XXIII.	25.	157	I.	6. 7.	32
XXVI.	39. 42.	141		2. Tim.	
	Marc.		I.	12.	60
XII.	30.	54	II.	13.	141
	Luc.		III.	15.	149
X.	27.	54		Ebr.	
XI.	39.	157	IV.	13.	143
XVII.	10.	30	VI.	18.	141
	Joh.			2. Pet.	
VI.	26.	49	II.	9.	60
	Act.			1. Joh.	
IV.	19.	46	IV.	18.	58
V.	29.	46	--	20.	70





# INDEX

AUCTORUM, RERUM ET VERBORUM,  
IN QUO NUMERI PARAGRAPHS  
INDICANT.

<b>A</b>	Abbas citatur	130
	Abnegare seipsum, an Deo possibile	141
	Absolute impossibilia, an omnipotentia	
	Divinae objecta	141
	- Non estimanda sunt ex confusa cognitione	141
	intellectus humani	ibid.
	Acquiescentia in providentia Divina unde oritur	162
	Actiones hominum liberae perfectionibus Divinis sunt conformandae	173
<b>Al-</b>	Jahannorum secta apud Turcas, irreligionarii est accensenda	92
<b>Amor Dei</b>	cultum Ejus internum absolvit	51
	Transiens, pro regula agnoscit amorem	
	Ejus immanentem	147
<b>Amoris</b>	erga Deum & proximum nexus	70
<b>Animam</b>	rationalem coincidere cum sensitiva statuit De La Mettrie	121
<b>An ὁ πῶτος θεὸς</b>	quid	147
<b>Ἀρχέτυπον</b>	Leg. Nat. est infinita Dei justitia	22
<b>Athei</b>	actionum norma quænam	85
	sunt irreligionarii	82
<b>Atheismus</b>	ducit ad corruptionem morum	85
<b>Augustinus</b>	cit.	144
		<b>B.</b>



# Index.

## B.

Bailius (Petr.) statuit Atheismum non esse cor-	
ruptionis morum causam	87
Religionem esse rem mediam	154. confut. ibid.
Superstitionem esse Atheismo pejorem	87
Belsazar a Deo castigatus	2
Børhavius cit.	113
Bolingbrokeus, negat attributa Dei moralia	92.
conf. 130. conformationem actionum hu-	
manarum cum perfectionibus Divinis	138.
& providentiam Divinam	99
Impugnat animæ immortalitatem	93. 153
Ejus argumenta contra religionem confut.	138
Bruta non cognoscunt nisi individualia & sensi-	
bilia	127
- Sensitivos tantum habent appetitus	ibid.
- Statuit meras esse machinas De La Mettrie	110
Hominibus tamen anteponit	123
Eorum pœnitentia absolvitur sensatione, ima-	
ginatione & memoria sensuali	125
Facultas eorum loquendi an prodit rationem	110

## C.

Calixtus cit.	147
Calovius cit.	144
Cartesiani opinantur animantia bruta esse meras	
machinas	110
Cartesius cit.	102
Celebratio Nominis Divini quid	67
Cerebri humani comparatio cum cerebro bru-	
torum, non probat animæ humanæ mate-	
rialitatem	108
Cerebrum esse idearum & figurarum omnium	
receptaculum, statuit De La Mettrie	113.
conf.	ibid.

# *Index.*

Le Chevalier de Temple cit.	109. 110
Chubbiius negat providentiam Divinam	92
Cicero cit.	18
Cogitatio an absolvitur facultate sentiendi	121
Colere quid	39
Concordiæ Berolinensis Auctor statuit Deum a nulla re offendi	151
Conscientia cuiusvis, Leg. Nat. existentiam pro- bat	18
Conscientiam boni & mali brutis tribuit De La Mettrie 124. conf.	125
Corporis in animam influxus, an arguit animæ materialitatem	106
Creaturarum substantiæ, usus & fructus, Divi- no subjacent imperio	1
Cuëvortus cit.	89
Cultus Divinus mediatuſ & immediatuſ	44
Utriusque nexus probatur	ibid.
- Dei internus & externus in quo consistit	50
Cultus Divini motiva quæ 40. conf.	49. 74
<i>D.</i>	
Deiſtæ ſunt irreligionarii	82
De La Mettrie ſtatuit religionem eſſe inven- tum Politicum 96. 103. conf.	97
- Fingit animam humanam eſſe meram ma- chinam, ejuſque ſpiritualitatem, immorta- litaſatem & libertatem negat	93
Ex perpetua corporis & animæ humanæ har- monia evincere ſtudet animæ materialita- tem 105. conf.	106
Statuit ſimias aliaque bruta poſſe transfor- mari in perfectum hominem 109. & per mechanifmum natas eſſe omnes ſcientiaſ ibid. conf.	110
Athe-	



# *Index.*

Atheismum super omnia laudat	-	-	130
Cognitionem Dei ad felicitatem ducere negat	-	-	133
Omniem felicitatem in terrenis cupiditatibus ponit	-	-	ibid.
Conscientiæ morsus unicam putat esse pœnam	-	-	ibid.
To Delectari aliquo actu quid Deo significat	-	-	152
Derhamus laudatur	-	-	130
Deus actu ipso exercet jus suum disponendi de creaturarum substantiis	-	-	3
- Est omnium hominum superior & absolute summus	-	-	8
- Humano more nec offenditur nec delectatur	-	-	152
- Producibilis an conceptibilis	-	-	140
Dippelius negat præscientiæ Divinæ absol. perfectionem	-	-	146
Et justitiam Dei vindicativam	-	-	147
Discursiva cognitio an Deo competit	-	-	143
Dispensatio à Lege quid	-	-	26
Dominium in creaturas Deo competit plenarium & illimitatum I. Ejus fundamentum quodnam	-	-	2
Dominio hoc an Deus se abdicare potest	4. n. I	-	

## *E.*

Ἐκτοτον justitiæ Divinæ est Lex Naturæ	-	-	22
Emanatiani sunt irreligionarii indirecti	-	-	92
Epicuræi putant nullam à Deo latam esse legem	-	-	135
Nec ullam actionum nostrarum ad Deum esse relationem	-	-	151
Eorum Lex quænam 90. sunt irreligionarii	-	-	ibid.
Epicuræismus quid	-	-	89
Epicurus statuit ex perpetua animæ & corporis relatione fluere animæ materialitatem	-	-	105

Etc.

# Index.

Εθελοθρησκεία quid 94.	Taxatur	158
Existentiæ Dei veritatem, nullum Ejus inferre cultum garrit De La Mettrie		129

## F.

Fatalistæ sunt irreligionarii		82
Fenelonus citat		130
Fiducia in Deum quid 59. requirit convictionem de Dei perfectionibus 60. perfectam hominibus injungit obligationem		61
Finis cultus Divini est gloria Divina manifestatio		49
Francus (Sebast.) omnem creaturæ actionem de- negat		92
Actionum nostrarum ad Deum relationem impugnat		151
Futurorum contingentium ratio datur in rebus ipsis & in Deo simul		145

## G.

Gassendus Epicuri defensor		89
Gentiles saniores concreatam hominum rectitudinem agnovère		25
Gloriam Dei super omnia promovere, homini incumbit		53. 54
Grapius cit.		87
Gratiarum actio Deo debetur		69

## H.

Hallerus cit.		113
Hieronymus cit.		18
Hobbesius Epicuræismo addictus		89
Hominem non esse nisi machinam statuit De La Mettrie.		121

Homi-



# *Index.*

Homines speciatim subsunt dominio Dei	3
Quorum actiones. Liberæ voluntati. Divinæ præcipue sunt conformandæ 4. n. II. hæc vero necessitas est moralis	5
Homo a Deo rectus est creatus & qua intellectum & qua voluntatem	25
Humius negat justiciam Dei vindicativam & remunerativ.	92. 139
<i>I.</i>	
Idea materialis an cerebro perpetuo inest	113
Ideas generari quomodo fingit De La Mettrie	111
Imaginatio an sit per solum mechanismum	114
Imaginatione comprehendendi omnes animæ functiones putat De La Mettrie	110
Imagines organis sensorii impressas ad cerebrum non propagari, docent observat. Anatomica	113
Imago Dei in homine essentialis an accidentalis	25
Immortalitatis animæ negatio ducit ad religionis neglectum	93
Inferior s. subditus quis	7
Invocatio mentalis quid 63. ad eam perfecte obligamur	66
- Requirit vivam cognitionem perfectionum Divinarum & propriæ indigentia	64
Ira Dei quid significat	152
Irreligionarii Directi & Indirecti quinam	81. 91
Judæi ob perversum Dei cultum à Deo puniti	49
Jus cogendi in quo consistit	10
- Der in homines quale	11
- Perfectum & Imperfectum	10
Justitia Dei vindicativa an indifferenter libera	147
- An Locum fuisset habitura, si peccatum non existisset	ibid.
Illam cum ejus exercitio confundunt irreligionarii	ibid.
Justi-	

# *Index.*

Justitia Rectoria & Æquatoria 28. Rectoria an	
Deo competit	ibid.
• • Est Dicastica, Remunerativa & Vindicativa	29

## *L.*

Laërtius contendit animæ materialitatem fluere	
ex animæ & corporis perpetua harmonia	105
Legislatio an Deo indifferenter libera	147
Leibnitzius cit.	102
Lelandus cit.	92. 138
Lex quid 12. Absque idea superioris concipi nequit n. I. Nemini nisi superiori competit facultas ferendi leges II. Deus est Legislator supremus III. Voluntas Dei est hominum Lex. IV.	
Lex naturæ quid 17. Ejus existentia & nexus cum illimitato DEI in homines dominio probatur	18
• • Ejus principium primum & fundamentale quodnam	21
• • Vi obligandi gaudet & ideam superioris includit	ibid.
Ejus essentia in quo consistit	23
An potest mutari ibid. vel dispensari	27
Lex naturæ Dno De La Mettrie quænam	128
Libertatis animæ negatio ducit ad religionis neglectum	93
Lockius cit.	109
Læschertus cit.	92
Loquendi facultas, quomodo importat rationem	110

## *M.*

Malebranche occasionalistarum Dux	92
Malum passionis quid	34
• • Jure Deus infligit voluntatis suæ transgressoribus	6

Ma-



## Index.

Malum Morale in peccatis tollitur convenienti	143
pena	148
Quoad Deum dari nullum, ex principiis	ibid.
fuit philosophiæ Wolfianæ 150. confut.	ibid.
Mali futuri idea an facit Deum peccati reum	146
Martyres in Atheismo non ostendunt Atheos habere ideam honestatis	87
Menander cit.	18
Mereri quid significat	30
Moralitatem actionum determinari ex relatione ad totum mundum docent Wolfiani 150. confut.	ibid.
Mundus an omnium possibilium hic est optimus	150
Muscovitæ τῆς ἐν εὐλοθρησκείας insimulantur	94

## N.

Nieuwentytus cit.	130
Notiones actionum formandi generales facultas, ope attentionis & reflectionis, hominibus post lapsum suppetit	15

## O.

Obligantur omnes homines ad Deum perfecte colendum	43
Obligatio quid g. unde oritur ibid. Interna	ibid.
Perfecta vel Imperfecta	10
Sine idea superioris an concipi potest	88
Occasionalistæ irreligionariis adnumerandi	92
Omnipotentia Divina. an defectum sentit ex impotentia faciendi absolute impossibilia	141
Omnipotentiae Divinae objectum quotuplici modo determinatur	ibid.

## P.

Peccata an Deus dimittere possit impunita	147
Perfectiones Divinas agnoscere, cuiuslibet incumbit	47
Per-	

## Index.

Perfectionum Divinarum distincti conceptus, an homini post lapsum supersunt	15
Phannerus cit.	25
Phantasia non concipi potest Deus	149
Pharao conscientiae moribus perculsus	18
Pharisaei notantur	54
Pœna quid 33. Quæ peccatoribus à Deo infligitur, an delictorum gravitati proportio- nata	37
Pontificii τῇ ἐπελοθρησκείᾳ maxime favent	94
• Statuunt Deum ad remunerationem obli- gari 31. conf.	ibid.
Possibile numerum finitum Deus non produ- cit ex defectu omnipotentiae	140
Premia gratuita eos manent, qui Leg. Nat. ser- vant	31
Natura eorum premiorum quæ	ibid.
Præscientia futurorum contingentium, quomo- do Deo competit	145
Non facit Deum peccati causam	ibid.
Preces quid 156. earundem necessitas probatur ibid. sunt 1. Fidei in Deum certissi- ma signa. 2. Devotionem augent. 3. Ex- hibent suavissimum animæ nostræ commer- cium cum Deo	155
Principii activi mensura, an ex effectu deter- minanda	139
Proximum amare omnium interest	71. 72

## R.

Relatio actionum ad perfectiones Divinas sugge- rit, quid nobis faciendum 1. omittendum Deus velit	14
Religio quid	75
• Superficiaria quæ 94. damnatur	157
Reli-	



# *Index.*

Religio indifferens impossibilis	154
Religionis veræ à falsa discrimen quodnam	77
Ad religionem veram omnes obligantur	80
Religionum diversitas unde oritur	76
Remunerativam justitiam quomodo Deus exercet	31

## *S.*

Sanctitas Dei quid	21
Sanctione pœnali Lex Nat. est munita	36
Schmidius cit.	144
Scientias esse solum congeriem vocabulorum & figurarum statuit De La Mettrie III. confut.	112
Semina in naturæ regnis pereuntia, an arguunt defectum præscientiæ Divinæ	145
Sensatio omnis an producit adpetitum	118
Simiæ non aptæ sunt ad perfecte loquendum	110
Simplicitatis animæ negatio ducit ad religionis neglectum	93
Socialitatis custodia, non est ultimum Jur. Nat. fundamentum	156
Sociniani sunt irreligionarii indirecti	92
- - Negant omnipotentiam, omniscientiam & justitiam Dei vindicativam	140. 146. 147
Spinoza statuit religionem esse inventum mere Polit. 96. conf.	97
- - Putat Deum hominum actionibus nec offendi nec delectari	151
Ejus actionum humanarum principium quodnam	85
Substantia qua ratione dicatur mala	150
Successiva & discursiva cognitio an Deo competit	143
Superior quis	7
Superstitiosi non sunt irreligionarii directi	86

## *PARS III.*

## *Q*

## *T.*

## Index.

### T.

Thomasius putat atheismum atheo non esse caus-	
sam inhonestæ vitæ	88
Tinior servilis taxatur.	58
Timoris filialis quæ indoles §5. Is Deo debe-	
tur	56
Titius inutilem & non præceptum cultum Dei	
externum statuit	155
Tolandus cit.	85
Tralles Balt. Lud. Medicus Vratislaviensis op-	
posuit se D:no De La Mettrie	101. 110

### V.

Veritas existentiae Divinae an pure Theoretica	131
Vi agendi & non solum agendi potentia gau-	
dent creaturae	148
Vilipendium Dei in quo consistit	57
- - Opponitur timori filiali ibid. taxat.	58
Vindictarum gratiæ Evangelicæ Auctor cit.	41
Virtutes hominum morales an Deo competunt	138
Voluntas an sola requiritur ad movendum cor-	
pus	118

### W.

Wolfius ignorantiam de bono & malo, non ve-	
ro Atheismum facit causam inhonestæ vi-	
tæ §8. cit.	102





## Emendanda.

**P**ag. 22. lin. 16. leg. *eodem exemplari*, pro *eadem*.  
 pag. 52. lin. 13. leg. *metu* pro *motu*. *ibid.* §.  
 58. lin. 3. leg. *vilipendit*, pro *vilipendel*. pag. 65.  
 lin. 8. leg. *nam*, pro *non*. pag. 87. lin. 15. leg. *esse*  
*maximam*, pro *habere*. pag. 103. lin. 5. leg. *ex ci-*  
*tato*, pro *excitato*. pag. 111. lin. 11. leg. *animo con-*  
*sternor*, pro *consternas*. pag. 114. lin. 25. leg. *per*  
*vasculorum*, pro *pervasculorum*. pag. 115. lin. 17.  
 leg. *lentus*, pro *lentis*. pag. 116. lin. 5. leg. *ait*,  
 pro *aut*. *ibid.* lin. 13. leg. *modeste*, pro *modesto*.  
 pag. 121. lin. 11. leg. *nullam habens*, pro *ullam ha-*  
*beat*. pag. 126. lin. 4. leg. *sic*, pro *fi*. pag. 136. ad  
*calcem* leg. *tornator*, pro *tortor*. pag. 154. lin. 21.  
 leg. *acquisitam*, pro *acquisitum*. pag. 156. lin. 2.  
 leg. *præstantioris*. pag. 165. lin. 1. leg. *aliam*, pro  
*alium*. pag. 194. lin. 21. leg. *permovere*, pro *pro-*  
*move*. pag. 206. lin. 17. leg. *quum id*, pro *id*.







Inhonde = 3

D





I. N. 7.

# PRÆNOTIONUM THEOLOGICI- RUM

TERTIA.

QUA

HOMINIS

AD

VOLUNTATI DIVI-  
FORMEM,

TRA


IONARIOS

ET VINDICATUR

TORE

WALLERIO, 166.

re, ad Regiam Academ. Upsa-  
Ord. & Kalfeniano.




E, A. O. R. 1758.

typis & Sumptibus Directoris LAUR. SALVI

*Nicolaus Blotius, m. p. p. p. p.*

x-rite

colorchecker CLASSIC



mm

